DE SOCIETATE MENTIS, ET CORPORIS DISPUTATIO...

Pietro Ubaldini

Digitized by Google

DE SOCIETATE
MENTIS, ET CORPORIS
DISPUTATIO PSYCHOLOGICO-PHYSICA

A

PETRO UBALDINIO PATRICIO FLORENTINO

COLLEGII NAZARENI CONVICTORE

HABITA

ET

JOHANNI FRANCISCO
BANCHIERIO

S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO

FERRARIAE LEGATO

NUNCUPATA.

BIBLIOTECA NAZIONALE 1872

ROMAE MDCCLIV.

EXCUDEBAT JOHANNES ZEMPEL PROPE MONTEM JORDANUM.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

JOHANNI FRANCISCO
BANCHIERIO
S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO

AVUNCULO SUO

PETRUS UBALDINIUS

FELICITATEM.

Nihil in omni vita aut optabilius, aut honorificentius mihi eſſe poterat, Princeps Eminentissime, *quam ut hodie tandem liceret ſtudiorum meorum rationem aliquam, & veluti ſpecimen exhibere, quo me jamdudum*

Digitized by Google

a magna quadam tibi probandae ſi minus eruditionis, at certe erga graviores diſciplinas voluntatis meae cupiditate impelli, ſentiebam. Memini enim, quantam, dum eſſes Romae, afferres mihi alacritatem liberalium artium, ſcientiarumque excolendarum, & quum moneres, multa, & magna propoſita eſſe viris doctis ubique praemia, & quum exemplo tuo doceres, hominis eſſe ingenui, & a vulgo remoti in eo, quod ſemel ſuſceperit, vitae instituto diligentiam, aſſiduitatem, conſtantiam. Atque hic vides, quantus id minus cogitanti ſe mihi opportune aperiat laudum tuarum campus: at per eum, quam late patet, me vetant excurrere ſatietas primum, & faſtidium, quo ſoles affici ex rerum a te praeclare geſtarum commemoratione; deinde ipſa affinitas, & neceſſitudo, quam ad familiae meae ornamentum, rerumque mearum praeſidium habere me tecum, quoties cogito, toties, me in magnam natum eſſe

for-

Digitized by Google

ſortunam, intelligo. Omiſſa igitur, quae tibi eſt ingrata, quaeque a me videtur aliena, tuarum laudum praedicatione, ad cauſam redeo, cur has ad te mitto theſes tuo nomine exornatas. Hunc ſi quando libellum per multas graviſſimaſque occupationes tuas licebit evolvere, videbis, non exiguam, nec contemnendam Philoſophiae partem hic contineri, quam quum Romae, in urbe doctiſſima, ſapientiſſimaque, audientibus maxime viris in omni ſcientiarum genere verſatis, pertractandam ſuſceperim, illud etiam cognoſces, plurimi a me eſſe facta & documenta tua, & exempla. Id unum probatum ſi tibi fuerit, nil ultra quaero, &, quem optabam, laborum meorum fructum ſatis amplum collegiſſe mihi ipſe gratulor. Vale.

Romae. XVIII. *Kal. Octobr.* MDCCLIV.

Digitized by Google

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſsimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

F. M. de Rubeis Patr. Conſtantinop. Viceſgerens.

IMPRIMATUR.

Fr. Vincentius Elena Ordinis Prædicator. Rm̃i P. Magiſtri Sac. Pal. Apoſt. Socius.

De

Digitized by Google

331. A

De Societate Mentis & Corporis.

I. PHiloſophos illos vehementer Plinius redarguit [1] & inſectatur, qui ad alios mundos cogitatione tranſgreſſi in illorum numero, magnitudine, harmonia contemplanda, ſeu potius fingenda toti ſunt; hunc autem, in quo ſedem habent ac domicilium, omnino contemnunt. Verum ſi domeſtica ſcrutari & perſequi vel voluptatis, vel utilitatis gratia in laude & commendatione Philoſophorum ponitur; eorum quemque philoſophicas curas & meditationes in ſeipſum primum converterent, proculdubio oporteret. Quid enim homini magis domeſticum, quam ipſe ſibi? Quid utilius illi, aut jucundius, quam ſeipſum contemplari & cognoſcere? Itaque operæ pretium nos facturos, confidimus, ſi mutuam mentis & corporis ſocietatem ac foedus, quod admiramur magis, quam intelligimus, hodiernae diſputationis argumentum nobis ipſi proponamus.

II. Primo autem ſtatuimus, mentem noſtram, quum a Deo conditur corporique conjungitur, nec ideas habere ingenitas, ut Platoni [2], Carteſio [3], Leibnitio [4] (*), nec

1 Lib. 2. cap. 1.

2 In Phaedr. Phaed. Men. & Theet.

3 De Met. num. 4. Medit. 3. & Epiſt. tom. 2. ep. 54.

4 Medit. de Cognit. Verit. & Ideis Act. Erud. 1684. pag. 537. Reflex. ſur l'Eſſai de Monſ. Loke. Princip. de la Natur. & de la Grace §. 3. & alibi paſſim. V. Wolf. Pſych. Ration. §. 66

(*) Platonem, Carteſium, Leibnitium ſimul copulamus, non quod de idearum natura & origine una eademque ſit illorum ſententia, ſed quod ideas in humanam mentem extrinſecus non advenire, nec ope ſenſuum comparari conſentiant.

omnia videre in Deo, ut placuit Malebranchio [1]; ſed illas paullatim partim ſenſationis, partim reflexionis beneficio ſibi comparare, ſicuti Lokius luculentiſſime demonſtravit [2]. Jam ex hoc ipſo intelligit quiſque, nec *cauſarum occaſionalium, nec harmoniae praeſtabilitae* probari nobis ſyſtemata; quorum alterum a Carteſio [3] propoſitum Malebranchius impenſe excoluit [4], & acerrime ab obtrectationibus vindicare conatus eſt [5]; alterum a Leibnitio [6], excogitatum illuſtrarunt potiſſimum Bulffingerus [7], & Wolfius [8]. Ut mentem reipſa non agere in corpus, nec corpus viciſſim in mentem quis ſibi perſuadeat, intimae conſcientiae ſenſum violentius reprimere debet, naturaeque vocibus obſiſtere pertinacius. Nec ſane quae contra mutuam ejuſmodi actionem Malebranchius producit [9], tanti facienda ſunt, quanti eſſe idem ipſe arbitratur: ea enim omnia ab ignorantia noſtra deducta ſunt argumenta, quod mentium natura, vires, eſſentia comperta nobis non ſint. Praeterea, ut mens in corpus, & hoc in illam veram exerceat actionem, dicaturque merito anima verum principium activum humanarum actionum, ſeu *forma corporis ſubſtantialis*, ut Lateranenſe Concilium definivit [10], neceſſe non eſt, *vim quamdam animae tranſire in corpus, & in eo abire in motricem; & vim quamdam motricem tranſire ex corpore in animam, & in eadem transformari in aliam*: quo potiſſimum nomine Leibnitius [11] ſyſtema influxus phyſici rejicit, & Wolfius omni illud probabilitate carere pronunciat [12]. Enim vero tum ſubſtantias ſimplices, tum corpora in ſe invicem agere & pati, nec propterea ex uno in alterum vim tranſire aliquam, ſed multifariam dumtaxat modificari, Wolfiana do-

1 Recherch. de la veritè liv. 3. part. 2. chap. 6. & Eclairciſſ. 10.

2 Eſſai de l'Entend. liv. 1. & 2. &c.

3 Princip. part. 2. num. 36. & ſeq.

4 Recherch. liv. 6. part. 2. ch. 3. & Eclairciſſ. ſur le chap. 3.

5 Dialog. 4. de Metaph. & Relig. §. 18. & ſeqq. Dialog. 7. §. 2. & ſeqq.

6 V. Recueil des divers pieces ſur la Philoſoph. &c. par Meſſ. Leibniz, Clarke, Nevvton &c. tom. 2. pag. m. 367. & ſeqq.

7 Com. hypoth. de Harmon. praeſtab.

8 Pſych. Ration. §. 613. & ſeqq.

9 Loc. cit.

10 Seſſ. 8.

11 De la Nat. des ſubſtanc. &c. pag. m. 379.

12 Pſych. Rat. §. 567. 568. 588.

Digitized by Google

doctrina eſt in Coſmologia . Quare ergo, ut mens agat in corpus, vel viciſſim, transfuſio quaedam virium, & immutatio praedicabitur neceſſaria [1]? Ego quidem ut Habacuc propria Angeli vi & actione translatum [2], Aſsyrios interemtos [3], commotam piſcinam [4], energumenos divexatos, porcorumque gregem praecipitem in mare actum [5]: ita & animae vi atque actione corpus noſtrum moveri, & actione corporis animam affici exiſtimo. Quid vero? Nonne Deus, qui ſpiritus & mens eſt, corpora movet & agitat, atque corporum motum omnem percipit & mutationem? Mens quidem Deus eſt, inquiunt, ſed increata, & creatrix [6]. At quo tandem ſuadebunt mihi argumento, Deum omniſcium, omnipotentem agendi vim hanc creaturis ſuis finito quodam modo impertiri non potuiſſe [7]? Ne vero in hanc opinionem ex vocibus invidia forte confletur, actionem, qua mens corpus afficit, & corpus mentem, non *influxum phyſicum*, *ſed realem actionem* appellabimus.

III. Mihi non latet, plurimos eſſe Philoſophos, qui explicandi commercii difficultatem lenire putant media quadam inter corpus & mentem anima, quam vi vegetandi & ſentiendi exornant. Sed dum eorum ſententiam expendo, nec convenire ſatis eos ſecum video, nec rationi conſentanea proponere, tametſi nobiles & generoſos hos appellet Philoſophos Genuenſis [8]. Nam Henricus Morus [9] eam animam mentis vim ipſam eſſe per totum corpus diffuſam putat; Gaſſendus [10], Cudvvorthus [11], Woodvvardus [12], ut alios praeteream, Platonem [13] ſequuti, in fluido quodam ſubtiliſſimo, & corporeae quodammodo ſubſtantiae flore, veluti luce, igne, flamma, conſtituunt, in ipſo autem ſanguine Woodvvardus. At hi vim percipiendi materiae tribuant; Henricus Morus

 ex-

1 Vid. Genuen. Metaph. part. 2. c[illegible] prop. 17.

2 Daniel cap. 14.

3 4. Reg. 19.

4 Johan. 5.

5 Matth. 8.

6 Wolf. Pſych. Rat. §. 609. Malebr. loc. cit.

7 V. Graveſ. Introd. ad Phil. lib. 1. part. 2. cap. 18.

8 Metaph. part. 2. Schol. ad prop. 20

9 De immortal. Anim. lib. 2. c. 10.

10 Phyſ. ſect. 3. lib. 3. cap. 3.

11 Syſt. Intellect. ſect. 3. cap. 5.

12 V. Praefat. interpretis Angli in reſponſ. ad obſerv. Camerarii edit. Venet. 1739. pag. m. 261.

13 In Timaeo.

Digitized by Google

extra cerebrum mentem collocet, neceſſe eſt; quorum alterum (ut alia mittam argumenta, quae ad horum Philoſophorum opinionem refellendam afferri poſſent) abſonum eſſe jam viri clariſſimi, alterum tum alii multi demonſtrarunt, tum nos ipſi, utpote ad hoc noſtrum pertinens argumentum, mox ſuſcipimus demonſtrandum.

IV. Peripatetici procul dubio, quod in qualibet corporis parte mentem ſentire putaverint, & nervos dumtaxat, quos a corde oriri omnes docuerat Ariſtoteles [1], quarumcumque ſenſationum inſtrumenta eſſe non noverint, decepti ſunt. Quis autem ignorat, ſenſorio, aut membri alicujus nervo illaeſo, ſed vel cerebro, vel nervo inter ſenſorium & cerebrum laborante, ſenſum omnem deleri, rem eſſe luculentis adeo confirmatam experimentis, ut ultra teli jactum poſita videatur [2]? In lethargo, in apoplexia ceſſant ſenſationes, nec tamen ullum aut muſculorum, aut nervorum, niſi in cerebro, deprehenditur vitium [3]. Cur ergo, ſi mentis ſubſtantia extra cerebrum reſidet & ſentit, mutationes, quae ab externorum objectorum actione in ſenſoriis a cerebro valde diſſitis generantur, non percipit? An & ipſa mens apoplexi afficitur, aut lethargo? Compertum pariter eſt, nullum eſſe in adipe ſenſum, nullum in oſſibus perioſtio ſpoliatis, nullum in placenta, ejuſque membranis, nullum in ſanguine, reliquiſque humani corporis fluidis; quod nempe eae corporis partes nervorum praeſidio munitae non ſint [4]. Si ergo mentis ſubſtantia ibi praeſens dicitur, ubi ſentit; alibi profecto praeſens erit, alibi ejus praeſentia interjectis mediis interſecabitur: quod ridiculum videtur & paradoxum. Difficultatem eludunt quidem Ariſtotelei, quum mentem non ſolum intellectionum & ſenſationum, ſed & vitalium motionum activum principium faciant; illamque proinde non hominis tantum, verum etiam *corporis energiam* appellent. At praeterquam quod

1 Hiſt. Animal. 3. cap. 3. & 5.

2 V. Boerhaav. §. 284., & Haller. ib. not. *e. f. g.* & Hall. loc. cit. not. *c*.

3 Leg. Wepfer. tot. lib. de Apopl.

4 Vid. Haller. loc. cit. ad §. 301. not. *a*.

Digitized by Google

quod in mentis naturam id parum cadere videtur [1]; ſi mens mechanicarum functionum cauſa ſit & principium, non video, cur ejus voluntati, & imperio motus neceſſarii non ſubſint (vid. §. 17.); non video, cur nulla afficiatur ſenſatione ex mutationibus illarum corporis humani partium, in quibus nervi non ſunt, vel ubi nervi certis laborant impedimentis. Re quidem vera mechanicarum motionum in homine principium & vis eadem eſt ac in plantis, organorum videlicet mechaniſmus; idque etiam, ſi ſecum conſtare velint, fateri debent Peripatetici noſtri, qui mentem humano corpori conjunctam nolunt, niſi poſtquam rudimentum foetus digeſtum eſt, &, ut ajunt, *organizatum*. Quid enim id eſt, niſi ante mentis conjunctionem mechanicis motionibus frui? Ex his autem nemo recte deduxerit, humanum corpus ab anima rationali non *informari*, non *vivificari*, ut Eccleſiae Patres ſaepe loquuntur. Quamvis enim in humano corpore motiones nonnullae ſint mere mechanicae & neceſſariae, quae ab animae vi & actione immunes cenſeri poſſint; multae tamen ſunt vitales motiones, quas ope muſculorum ſpontaneorum efficit anima, quarumque vitale & activum principium ipſa anima ſtatui debet.

V. Non ſolum autem mentis per totum corpus diffuſio & praeſentia, ut ipſa corpus afficiat, & a corpore afficiatur, inutilis eſt; ſed eadem ratione ejuſdem praeſentia per totum cerebrum ſupervacanea cenſeri debet, & ejus regionis, ex qua nervi, ſenſus & motus inſtrumenta, primam habent originem, finibus coarctari. Eſt autem nervi origo *is locus, ubi arteriola deſinit, & incipit filum medullare*, uti animadverſum Hallero [2]. Is autem locus nec magis, quam cerebri medulla extenditur, nec fortaſſe minus. Non magis extendi evincunt cerebri morbi, quorum alii medullam afficientes ſenſum homini auferunt, alii vero extra medullam ſaevientes eundem prorſus inoffenſum relinquunt. Locupletiſſimas hac de re Peyronio in Anatomi-

1 Leg. Genuenſ. Elem. Metaph. part. 2. prop. 23. & ſchol. prop. 21.

2 Praelect. Boerh. not. 1. ad §. 568.

Digitized by Google

ca facultate verſatiſſimo debemus obſervationes [1], quibus refragari nonniſi pertinaciſſimae fuerit pertinaciae. Sed nec minus extenditur, quam medulla. Nam ubi primas nervorum origines inter ſe conferunt Anatomici, cum maſſa quidem medullae cito confundi vident, ſed vident etiam ex nervoſarum fibrarum directionibus nullibi in cerebro circumſcriptam eſſe regionem, in qua nervi omnes conveniant [2].

VI. Quin etiam contendo, non in una eademque medullae parte humanam mentem & videre, & audire, & olfacere, & guſtare, & tangere: ſed ſingulis ſenſationum idearumque generibus ſuas eſſe quodammodo diviſas provincias, prout nervorum hac illac diviſa ſunt capita. Qui hoc mihi negaverit, explicet, velim, qua fieri ratione poſſit, ut morbi, quorum definita eſt in cerebri medulla ſedes, modo hunc, modo alium corporis ſenſum, modo ſupprimant omnes. En accuratas peritorum obſervationes. Graviſſimo ſex menſes laboraverat dolore capitis infelix puella, quibus elapſis; caecitate primum, reliquorum ſubinde ſenſuum ſtupore, ac tandem morte correpta fuit. Diſſecto per Drelincourtium tunc Lugduni Batavorum agentem cerebro, pinealem glandulam ad ovi gallinacei magnitudinem excreviſſe, compertum eſt [3]. Scilicet quum magis in dies ſeſe glandula dilataret, nervorum opticorum thalamos primum, poſtea nervos reliquos mortifera compreſſione cruciavit, & ab officio prohibuit. Iiſdem fere gradibus ſenſuum uſu orbabatur puer, cujus cerebrum ab abſceſſu purulento medullam comprimente purgabat memoratus Chirurgus Peyronius [4]; immo injectionibus liquoris per ſyringem & eductionibus ſenſum quaſi ad arbitrium auferebat, reſtituebatque. Juvat autem animadvertere, non ſiniſtrum quidem, ſed dexterum oculum languere primum coepiſſe & obcaecari, quamvis abſceſſus ſiniſtram medullae partem afficeret; non enim ſe alio modo habere res poterat, quum medullares fibrillae decuſſentur, quaeque in cerebro ſiniſtrae ſunt,

1 V. Mem. de l'Acad. Roy. an. 1741. pag. 271.

2 Conſ. Haller. Prael. Boerh. ad §. 269. not. g.

3 Bonnet. Theatr. tom. 2. pag. 309.

4 Mem. de l'Acad. loc. cit. pag. 290.

Digitized by Google

ſunt, ad dexterum oculum dirigantur, ut exploratum jam eſt [1]. Prolixa nimis oratione opus eſſet, ſi recenſere vellemus hiſtorias omnes vel caecitatis, vel ſurditatis ex compreſſione aut in opticis nervis, aut acuſticis [2], vel ſtuporis linguae in ramo deſcendente paris noni [3], aliorumque ſimilium, quae a medicis monumentis ſuppeditantur. Sed ſingulare unum ab Hermanno Boerhaavio narratum [4] praeterire ſilentio non poſſum. Illud autem ipſis Boerhaavii verbis exſcribam. *Pariſiis homo vixit, qui in propriam calvariam ſtipem vicatim petebat, quum cerebrum ſola calloſa dura meninge tectum haberet. Experimenta pro exiguo nummo centies in ejus cerebro facta ſunt. Quoties nempe dura mater digito leniſſime comprimebatur, ſubito mille ſcintillae* (ſeu quaſi candelae, ut ajunt Pariſienſes Academici [5]) *ante oculos hominis verſabantur, & ſi fortior fiebat compreſſio, jam caligo oculos occupabat. Si denuo validiori manu urgebatur, in ſomnum delabebatur, deinde ſtertebat, donec ſola manus levi opera apoplectico fieret ſimillimus. Sed breve malum remota cauſa non tardius recedebat, ſtertore primum ſublato, deinde ſomno, hinc tenebris diſcuſſis, & reddita tandem legitima ſenſuum poteſtate.*

VII. Quo autem modo organorum mutationes nervorum ope cerebri medullam pertingant, ut mens illas percipiat, exquiſitorum argumentorum congerie Boerhaavius oſtendit [6], & fluidi ſubtiliſſimi, cujus particulas *ſpiritus animales* vulgo nuncupant, per nervos excurrentis exiſtentiam aſſeruit antiquioribus etiam probatam aetatibus. Fluidum hoc, ejuſque actionem ab humano corpore ejicere Bidlous in Academia Lugduno-Batava Profeſſor publicus nequicquam conatus eſt. En argumenta ejus praecipua. I. Nervos auditoribus ſuis lente vitrea ſpectandos pluries exhibuit; nec ab ullo excavatae intra nervorum

 ſub-

1 V. Poupart. Hiſt. de l'Acad. an. 1700. obſerv. 19. Molinell. Comment. Bonon. tom. 1. pag. 139. Barthol. Hiſt. Anat. lib. 2. Cent. 5. 6. &c.

2 Bonnet. Sepulch. lib. 1. ſect. 18. obſerv. 1. 2. 4. 5. 23.

3 Haller. Prael. Boerh. ad §. 280. not. *e*.

4 Praelec. Acad. ad §. 284. art. *compreſſa*.

5 Hiſt. de l'Acad. an. 1700.

6 Praelec. Acad. §. 274. 284. V. Bellin de motu cordis prop. 19.

ſubſtantiam fiſtulae videri unquam potuerunt. II. Ex majoribus nervis unum ſub antliae pneumaticae excipulo idem ipſe ſuſpendit, atque, aere educto, ne hilum quidem liquoris ex nervo effluere conſpexit. III. Quicumque nervus forti quantumlibet conſtrictus vinculo, nec infra, nec ſupra vinculum intumeſcit. Intumeſcere autem procul dubio deberet, ſicuti venae & arteriae, ſi quidem per ejus fiſtulam fluidum quoddam percurreret. Haec Bidlous [1], qui cum Brinio [2], Liſtero [3], Gohlio [4], aliiſque nervos uſquequaque ſolidos, elaſticos, & inſtar chordarum tenſos tremoribus ſuis & palpitationibus organorum mutationes ad animi ſedem tranſmittere arbitratur. Neſcio, an viri acutiſſimi Nevvtonus [5], Wolfius [6], Muſchenbroekius [7], abſque ullo examine in eandem ſententiam conceſſerint, quod explicandis colorum & ſonorum ſenſationibus nimis commoda videretur.

VIII. Porro nihil validius ſpirituum animalium neceſſitatem evincit, quam in nervorum ſubſtantia elaterii defectus invictis rationum momentis demonſtratus. Ea indicabimus potius, quam plane perſequemur. I. Si meninges excipias, quibus nervi veſtiuntur, tota illorum ſubſtantia pulpoſa eſt, & inſigniter mollis, eadem nimirum, quae ſubſtantia medullae. Si minimas nervorum fibrillas ſecueris, medullam ſtatim emitti, & foras exprimi in tuberculum; idemque fieri conſpicies reſectis nervorum truncis & medulla ſpinali. Immo ſi ab uno ad alterum extremum nervum auditorium, & olfactorium, qui breves admodum ſunt, examinaveris, nihil in iis durae ſubſtantiae meningum invenies. II. Arteriae & muſculi ſecti ob elaſticitatis vim contrahuntur & breviores fiunt: nervus vero ſectus flacceſcit, & paullo longius extenditur. III. Chordae muſicae, licet elaſticae, niſi tenſae fuerint, & ad utrumque extremum firmis affixae corporibus, non concipiunt tremorem. Nervorum autem omnium uterque terminus procul

1 Exercit. Anat. Chirurg. 10.
2 De Spirit. Animal. pag. 175.
3 De Humor. cap. 53.
4 Act. Berolin. tom. 8. art. 1.
5 Optic. quaeſt. 23. 24.
6 Pſych. Ration. §. 309.
7 Elem. Phyſ. cap. 37. §. 1178.

Digitized by Google

cul dubio mollis eſt. IV. Nervorum aliqui in ſuo ex cerebri medulla ad organa corporis progreſſu frequentibus & ſinuoſis inflexionibus obnoxii ſunt, neque in inflexionum punctis firmo nituntur fulcro, ſed laxam habent ubique cum fabrica celluloſa conjunctionem: alii vero firmiſſimis corporis partibus, quae diſtrahi nequeunt, nexu perpetuo colligantur. Quamvis ergo chordarum inſtar eſſe darentur elaſtici, elaſticis tamen tremoribus ſuſcipiendis modo laxitate, modo immobilitate ſua non eſſent idonei. V. Tandem iidem nervi mutant frequenter diametrum; qui nimirum antea graciliores erant, in craſſiores ſubinde evadunt: ex quo plane ad eaſdem vibrationes propagandas inepti fiunt [1].

IX. Quae vero ex Bidloo ſuperius objecimus, vix phyſicum tironem movere poſſunt; ea enim nil aliud evincunt, quam nervorum fiſtulas, & fluidi particulas adeo exiles eſſe, ut oculorum & lentium vim prorſus eludant; quod contendimus, nedum concedimus. Per cutis meatus plures quotidie fluidi perſpirabilis librae humano ex corpore exhalantur. Nos homines exili ex machinula in utero matris creſcimus; in eoque compendio omnia ſunt noſtri corporis organa mirifice fabrefacta. Quis tamen aut cutis meatus, aut fluidi exhalati particulas, aut prima foetus rudimenta per microſcopium potuit unquam perſpicere? Sic etiam quis mirabitur, vinculo nervorum fiſtulas abſque tumore conſtringi, quando arteriae lymphaticae, per quas lympham aſſidue fluere certum eſt, nemo unquam vinculo effecit, ut intumeſcerent? Scilicet nervorum mollem ſubſtantiam aeque deſtrui & diſſolvi vinculo ac diſſectione animadverterunt jam Morgagnus, & Michelottus.

X. Quod ſi fluidum hoc ſubtiliſſimum, & maxime mobile mutationum in corpore factarum nuncius menti eſt, & neceſſarium ſenſationum inſtrumentum; nihil veriſimilius invenio, quam in ipſo hujus fluidi ab exterioribus organis ad nervorum origines, vel animi ſedem regreſſu & appulſu commercii legem ad excitandas in mente ſenſationes a Deo poſitam eſſe. Et quidem eo vividiorem, & clario-

1 Vid. Borell. de Mot. Animal. part. 2. prop. 112. Boerh. Prael. Acad. §. 284. Haller. Phyſiol. cap. 12. §. 386. & ſeqq.

riorem fore ſenſationem quamlibet, quo validior fuerit nervis inducta mutatio, & vehementior ſpirituum impetus & impulſus, perpetua nos docent experimenta. Porro idem fluidum prope nervorum capita repulſum atque repreſſum oſcillatorio quodam motu agitari debere, atque hujuſmodi oſcillationes tamdiu duraturas, quamdiu ſenſim langueſcant, & extinguantur, nemo non agnoſcit. Igitur & ſenſatio in mente eo uſque vigebit, donec perſeverabit ſpirituum in nervis motus & oſcillatio; quae pro majori vel minori corporum in nervos agentium vi diuturnior erit, vel brevior. Senſationem coloris ex oculi compreſſione ortam ad minutum circiter ſecundum conſervari eleganti obſervatione deprehendit Nevvtonus [1]; neque alia de cauſa diſtinctae colorum faſciae in albedinem degenerant, ſi pecten ante eas ultro citroque celerrime moveatur [2], niſi quia coloris ſubſequentis in nervis actio prius exeritur, quam praecedentis oſcillatio ceſſaverit. Radios ſolis uſtorii ſpeculi collectos foco, cujus quanta ſit vis, Philoſophi norunt, oculo exceperat Boerhaavius. Vehemens in organo & diuturna commotio ſolis imaginem ad plures horas ipſi invito Boerhaavio pertinaciſſime praeſentem fecit [3]. In aliam praeterea animadverſionem fortuita quaedam Malpighii [4] obſervatio opportune nos ducit. In ſeipſo ſcilicet, dum in lecto decumberet, expertus eſt lucis ſenſationem non ſemper aequaliter vividam, ſed alternis vicibus vigere & remitti; vividiorem autem, dum cor contrahitur, languidiorem, dum cordis intermittitur pulſus, iterato pluries didicit experimento. Obſervatio haec in rem noſtram mirifice quadrat. Dum cor contrahitur, & ſanguis per arterias propellitur, uberius etiam ex corticali cerebri ſubſtantia in medullam, nervorumque capita ſpiritus animales propelli debent. Si tunc ergo ab exterioribus organis ad nervorum capita actione corporum ſpiritus impellantur, a ſpiritibus ex cortice in medullam affluentibus validius repellentur; eritque idcirco fortior in mente clariorque ſenſatio.

XI. Quo-

1 Quaeſt. optic. num. 16.

2 Nevvton. Opt. part. 2. prop. 5. experim. 11. 12.

3 Prael. Acad. ad §. 579.

4 Oper. poſthum. pag. 99.

Digitized by Google

XI. Quocumque tamen modo mens agat in corpus, & corpus in mentem, ſi verum commercium inter utramque ſubſtantiam, mutuamque actionem & paſſionem agnoſcimus (ex §.2.), validiſſimum mihi ſuppetit argumentum, quo innixus humanae menti quamdam extenſionem tribuere contendam, & Peripateticos ab obtrectationibus vindicare, quod animam hominis per totum corpus diffundi putaverint. Illud autem ejuſmodi eſt. Anima hominis, ſi reipſa agit in corpus, illi ſaltem cerebri regioni praeſens ſit, oportet, in qua nervorum capita coeunt, vel quaſi coeunt. Etiamſi vero in unum punctum coirent, ſemper eſt punctum phyſicum & extenſum. Hanc ergo regionem totam occupat anima praeſentia ſua (*). Itaque ſi mens humana per to-

(*) Hanc ipſam argumentationem in lucubratione philoſophica an. 1751 edita iiſdem fere verbis expoſui, quum de ſimplicium ſubſtantiarum extenſione controverſiam agerem. Eam carpit & fallaciae inſimulat vir humaniſſimus Aloyſius Antonius Vernejus in eo, quod *de re Metaphyſica* an. 1753. vulgavit, opere lib. 4. cap. 7. in not. Placet autem integrum doctiſſimi auctoris locum exſcribere, ut totam ejus cenſuram ob oculos legentium ponam, &, ſi quidem fieri poſſit, refellam; vel ſaltem obſervantiae hoc meae & exiſtimationis teſtimonium viro clariſſimo exhibeam. *Aliqui Recentiores*, inquit, ... *cum pro certo ponant, ex re non extenſa extenſam fieri non poſſe, putant extenſionem & ſimplicitatem una eſſe poſſe: ideoque contendunt, prima elementa corporum eſſe ſubſtantias ſimplices, & extenſas. Si rationem quaeris, audies hanc eſſe, quia non intelligunt, quo modo infinitae partes in una & exiliſſima materiae parte contineri poſſint: propterea rident Carteſianos, Newtonianos, ceteroſque, qui diviſionem in infinitum amplexantur. Sed, pace eorum dicam, mihi videntur ipſi male philoſophari. Non intelligo, inquiunt, diviſionem in infinitum. Igitur negare debeo proprietates materiae, quas clare intelligo. Pulchra fallacia! ex infinito, quod mortalis nemo intelligit, ad rem omnino perſpicuam argumentari! Hanc ſi admittimus philoſophandi rationem, innumeras res omnino perſpicuas negare deberemus, quod eas non intelligamus: immo vero fere omnia phaenomena phyſica, quae, ſi ingenui eſſe volumus, fateamur, neceſſe eſt, nobis impervia eſſe. Addunt extenſionem ſine ſoliditate &c.* Egregie profecto, ſi mea haec eſſet, quam Vernejus impugnat, ratiocinatio. Scripſi utique „ *quis denique ſibi ſuadeat, parvum* „ *materiae cubum uſque adeo in qua-* „ *dratas plagulas dividi poſſe, ut* „ *orbi univerſo, ſi Deo libeat, tegen-* „ *do par ſit* „? at hoc dumtaxat argumento, quod procul dubio ſejunctum a ceteris mancum eſt & elumbe, tota illa mea ratiocinatio non continetur. En totidem verbis exſcripta, quae illud abſque ulla interjectione praecedunt „ Si ſubſtantia, ut par eſt,

tum corpus non extenditur, non ea de cauſa non extenditur, quod incorporeae ſimplicique ſubſtantiae extenſio repu-

„ ſimplex aliquid & inconcretum dicatur, nulla erit in toto mundo corporeo ſubſtantia; nec aliud, quam modorum congeriem ſine ſubſtantia, in corporibus deprehendemus. Praeterea nulla erunt vel ipſi Deo prima corporum elementa„ Haec plane argumenta duo, in quibus vis maxima, aut ego fallor, poſita eſt, Leibnitium virum acutiſſimum, quem eodem in loco commemoravi, impulerunt, ut corporum diviſibilitatem in infinitum, eorumque partes *actu* infinitas negaret. Cur autem in illud unum, quod mens corripitur ſane & obruitur, ſed non convincitur, Vernejus animadverterit, reliqua autem duo ne leviter quidem indicaverit, divinare vix poſſim. Ex iis duobus unum demonſtrationis vim habet, *ſi ſubſtantia ſimplex aliquid & inconcretum dicatur*; quod ex accuratioribus Metaphyſicis ibidem (not. 1. ad §. 2.) ſtatueram. Itaque argumenti vis infringi non poteſt, niſi ea ſubſtantiae definitio rejiciatur. At ea rejecta, quam ſubrogabimus? Non quidem definitionem Vernejanam, quam vitioſam eſſe nemo, ut arbitror, inficiabitur. Subſtantiam ipſe definit (lib.4. cap.4. pag.138.) *Eſſentiam ſeparatam a ſuis modis*. Verum non ignorat Vernejus, non *ſubſtantias* tantum, ſed etiam *modos* ſuam eſſentiam habere aliis modis affectam, qui ab ipſa eſſentia per mentis abſtractionem ſeparari queant. Quum extenſio corporum ſit ens reale, realem quoque eſſentiam habeat, neceſſe eſt. Extenſio haec autem variis modis afficitur, vel affici poteſt, ut norunt omnes. Ne autem propriis dumtaxat utar exemplis, aliud ex ipſo Vernejo proferam. *Natura trianguli*, inquit, *in eo ſita eſt, quod ſit figura tribus lineis definita. Quare ſi Deus ab aeterno tempore cognovit, talem eſſe naturam rei, quam vocamus triangulus; omnino fieri non poteſt, ut id, quod vocamus eo modo, non habeat talem naturam; aliter eadem res eſſet triangulus, & non eſſet* (Ibid. lib. 4. cap. 3. pag. 127.). Eadem dicit de numero ternario. Conſtat autem triangulum infinitis fere modificationibus obnoxium eſſe. Si quis autem reponat extenſionis, & trianguli eſſentias ex Verneii ſententia reales non eſſe; ſubſtituat exempla lineae, & ſuperficiei, quarum eſſentias, ut a Geometris explicantur, tanquam reales Vernejus ipſe producit, & probat (Ibid. cor.2. pag. 131.). Lineis autem & ſuperficiebus innumeras accedere poſſe modificationes quis negat? Itaque ſi ſubſtantiae definitionem a Vernejo traditam adoptare velimus; extenſio, triangulum, linea, ſuperficies, aliaque multa horum ſimilia, quibus ſua eſt eſſentia & modi, ad ſubſtantiarum claſſem referantur, oportet: quod abſurdum & falſum eſſe, Vernejus ipſe fatebitur.

Modum tandem ſic definit lib. 4. cap. 4. pag. 138.: *id, quo ſubſtantia hoc, vel illo modo eſt, eamque quodammodo veſtit, &, ut ſenſibus percipiatur, facit*: quae quidem definitio tum obſcuriſſima eſt, tum etiam manca, quia incorporearum ſubſtantiarum modi nunquam efficiunt, ut eae ſenſibus percipiantur. Quum igitur Vernejana ſubſtantiae definitio probari non poſſit, priorem illam cum ſeve-

pugnet; ſed quod ejus extenſio extra cerebri medullam inutilis ſit, & phaenomenis apprime contraria (§. 4. 5. 6.).

A 10 Leib-

verioribus Metaphyſicis adhuc retinebo, & *primum ſubjectum ejus, quod eſt, aut ſit, quod ita exiſtit, ut intrinſecus a nullo pendeat*, ſubſtantiam appellabo.

Quod vero poſita materiei in infinitum diviſibilitate nulla vel penes Deum futura ſint prima corporum elementa, quae tamen nonniſi ab ipſo Deo creari potuerunt, aperta adeo res eſt, ut Petrus Martinus Philoſ. Nat. lib. 1. cap. 6. §. 112. infinitae diviſibilitatis propugnator acerrimus, id ultro conceſſerit; nec ego ullum, qui inficietur, adhuc inveni.

At Verneji animadverſionem proſequamur. *Addunt, extenſionem ſine ſoliditate in eadem ſimplici eſſe poſſe; ut ſe habet anima hominis, quae ſimplex eſt & extenſa. Extenſa! cur ita? quaeris? quia cum anima agat in corpus, oportet, ei loco cerebri ſit praeſens, in quo nervorum origo, quorum ope motus membrorum fit, exſiſtit. Nervi autem minimum in uno aliquo puncto phyſico originem habere debent: quod punctum certe extenſum eſt. Ergo anima, quae ei puncto praeſens eſt, extenſa & ipſa ſit neceſſe eſt. Altera fallacia. At, inquiunt, ſunt in hac ſententia Rudigerus, Morus, Cudvvorthus, ceteri. Quid ad nos? quaſi nos Philoſophorum nomina, non rationes quaeramus. Cur autem eorum philoſophandi viam rejiciamus, in premptu eſt. Primum nullam hi Philoſophi ideam claram habent naturae animi noſtri: deinde nullam de modo, quo eſt in cerebro: tum nullam de ratione, qua movet corpus: quae duo nonniſi ex effectis probare poſſunt. Male igitur ponunt pro comperta rem &c.*

His antequam reſpondeam, animadverto primum corporum extenſionem ſecernendam eſſe a mentis extenſione, quam, ſi malueris, extenſioni corporeae *ſubſtantialem* mentis praeſentiam appellabo, ut in hac ipſa diſſertatiuncula declaratum habes. Animadverto inſuper & palam fateor argumentum pro incorporea quadam extenſione, ſeu medullae cerebri mentis noſtae *ſubſtantiali* praeſentia a me adductum, & a Vernejo impugnatum, penes eos Philoſophos, qui *harmoniae praeſtabilitae, vel cauſarum occaſionalium* ſyſtemata ſibi ſeligunt, nullius eſſe roboris ac momenti. Habere autem vim maximam penes eos, qui *ſyſtema influxus phyſici*, ſeu *realem actionem* inter corpus & animam admittunt, adhuc mihi perſuadeo. Illud ſic breviter contraho. Mentis ſubſtantia ibi praeſens eſt, ubi agit. Mens autem noſtra, ſi quidem realem exercet actionem in corpus, agit ſaltem in eam cerebri partem, in quam nervorum capita coeunt. Extenſioni ergo cuidam corporeae anima hominis ſubſtantia ſua praeſens eſt. Argumentationem hanc *fallaciam* vocat Vernejus. At hanc ego fallaciam plane non video; niſi forte quaſi certum ſtatuendum putet, ſubſtantias ibi agere, ubi non ſunt; aut, me invito ac reluctante, velit argumentum adverſus Carteſianos, & Leibnitianos, qui nullam agnoſcunt inter mentem & corpus realem actionem, a me proferri; quod ego tamen in ipſo, quam examinat & reprehendit Vernejus, lucubrationis meae loco maxime caveram. Ibi enim ſic habeo „ Argu-
„ mentum, quo utor, vim maximam

„ ha-

Leibnitiani autem & Carteſiani, niſi extenſionem cum concretione, & ſoliditate neceſſario conjunctam nimis confiden-

„ habere debet penes eos omnes,
„ qui *harmoniae praeſtabilitae*, &
„ *cauſarum occaſionalium* ſyſtemata
„ rejicientes verum commercium
„ corpus inter & animam, mutuam-
„ que actionem & paſſionem agno-
ſcunt „. Quod ſi animadvertiſſet Vernejus, perſpexiſſet ſane, futilia eſſe, quae congerit, *nullam hi Philoſophi ideam claram habent naturae animi noſtri: nullam de modo, quo eſt in cerebro, nullam de ratione, qua movet corpus*. Quid enim refert haec ignorari, dummodo anima in totam cerebri medullam reipſa agat? An de natura Dei claram & adaequatam ideam habemus? an de modo, quo nobis intime praeſens eſt? an de ratione, qua omnia conſervat, & movet? Quis tamen idcirco negaverit, niſi ineptire voluerit, divinae ſubſtantiae ubique praeſentiam & actionem non revelatione tantum, ſed etiam ratione abſque ulla fallacia demonſtrari?

Quod autem poſt rationum momenta alios quoque Philoſophos pro mea ſententia citaverim, cur mihi vertatur crimini a Vernejo, prorſus ignoro. Id paſſim in more eſt, non ut Philoſophorum nomina rationum loco ſubſtituamus, ſed vel ut novitatis fugiamus invidiam, vel ipſos fontes, ex quibus doctrina aliqua hauſta fuerit, indicemus.

Ad materiei diviſibilitatem revertitur tandem Vernejus: *Male igitur ponunt*, inquit, *pro comperta rem, quam nullo modo intelligunt, ut inde efficiant, negari debere extenſionem diviſibilem materiae, quam omnes perſpicue intelligunt, tametſi non intelligunt, quo modo quaelibet pars infinite ſecari poſſit. Quis enim, qui ſine ulla anticipatione, ſine ulla hypotheſi judicet, ejuſmodi diſputatores ferre poſſit? aut quis &c.* Si quam omnes perſpicue intelligunt, ut Vernejus aſſerit, eſt materiae diviſibilitas in infinitum; viderit ipſe, an omnes revera perſpicue intelligant. Arbitror tamen ei non latere, infinitam materiae diviſibilitatem tum a Leibnitianis omnibus, tum ab Atomiſtarum pleriſque, tum a Carteſianorum nonnullis vel prorſus reſpui, vel in dubium revocari. Dicam tandem ex Philoſophis, qui Ontologiam accurate & ſyſtematice pertractaverint, neminem eſſe, qui infinitam materiae diviſibilitatem probet, quippe quae craſſam ſapiat Metaphyſicam. Miror autem, Vernejum, virum alioqui perſpicaciſſimum, controverſiam de infinita materiae diviſibilitate Phyſicis examinandam relinquere: *nos eam Phyſicis, ſi qui otio diffluunt, examinandam relinquimus*, ait loc. cit. pag. 164.: miror, inquam, quum planum ſit & apertum eam quaeſtionem nonniſi ad Ontologiam & Coſmologiam pertinere. Ut enim ea dirimatur, examinari, & ſtatui debet, utrum prima corporum elementa extenſa ſint; utrum extenſio ex partibus realibus neceſſario reſultet, nec ne? quae duo capita ad unum etiam reduci poſſunt, utrum nempe extenſum ex extenſis neceſſario coaleſcat. Id autem definire an ad Phyſicam pertineat, an ad Metaphyſicam, judicet Vernejus ipſe, qui ad ſuam Ontologiam tractationem *de ſimplici & compoſito* jure cenſuit pertinere.

Quae

denter pronunciarent , ab inani ſimplicium ſubſtantiarum extenſionem impugnandi ſtudio abſtinerent [1] . Notum eſt etiam , quam pervulgata penes Theologos , ac Philoſophos de Angelorum extenſione ſententia ſit , ut Hamelius obſervat [2] ; eoque reſpicere intelliguntur Eccleſiae Patres Theodoretus [3] , Gregorius Magnus [4] , Damaſcenus [5] , aliique , qui eos etſi ſtatuant corporis omnis & concretionis expertes , loco tamen circumſcribi opinantur . Praeeuntibus Eccleſiae Patribus , quis jure Thomiſtas , & Scholaſticorum pleroſque reprehendat , atque ex recentioribus Hamelium [6] , Antonium Genuenſem [7] , Rudigerum [8] , Henricum Morum [9] , quod incorporeis ſubſtantiis extenſionem tribuendam diſerte docuerint [10] ?

XII. At quiſpiam hoc loco me interrogaverit , cujus tandem generis extenſio haec ſit ? An non , ſicuti cerebri medulla in pueris in majorem molem excreſcit , uſque dum firmata virum jam fecerit aetas , ita & animi extenſionem ſubinde augeri , dilatarique opus ſit ? An non ſicuti corporum extenſio definita figura aliqua circumſcribitur , ita & animae extenſa ſubſtantia figura aliqua contineatur ? Quae quidem duo mentis ſimplicitatem evertere , eamque in concretarum ſubſtantiarum claſſem transferre videntur . His ego interpellatoribus reſpondebo , audacius , quam par ſit , haec a nobis inquiri . *Spiritum , niſi me prorſus ratio fallit ,* ajebat in re prorſus ſimili Laurentius Moshemius [11] *ex omni parte noſſe decet illum , qui haec ſibi licitum ducit eſſe decernere . Equidem is minime ſum , qui tam accuratam ſpirituum notitiam mihi datam eſſe putem . Viderint alii ,*

Quae hactenus a me dicta ſunt , aequi bonique faciet veritatis & honeſtatis amantiſſimus Vernejus , cui ſcio perſuaſum , ſententiarum inter nos diſcordiam non eſſe animorum diſſidium .

1 V. Sarke Reliq. 2. §. 4.

2 Phyſ. Gener. tract. 2. diſſ. 2. cap. 3.

3 Quaeſt. 3. in Geneſ.

4 Lib. 2. Moral. cap. 3.

5 Lib. 1. de fide cap. 6. & lib. 2. cap. 3.

6 Loco cit.

7 Elem. Metaph. part. 2. ſchol. ad defin. 11., & diſſ. de Anim. Brut. §. 21.

8 V. Bud. Hiſt. phil. pag. 501. edit. Walchianae an. 1731.

9 Enchir. Metaph. part. 1. cap. 28. a num. 6. uſque ad finem .

10 V. Cudvvorth. Syſt. Intell. t. 2. cap. 5. ſect. 3. §. 52. & ſeqq.

11 Obſerv. in Cudvvorth. cap. 5. ſect. 3. §. 39. pag. 1103.

num majora de ſe praedicare queant. Verum ne nihil omnino dicere videar, ſpirituum extenſionem ab extenſione corporum apprime differre reponam, quod haec ſolida ſit, & aliis impervia corporibus, illa nullo modo. Reponam etiam cum Auguſtino, *ſi corpus non eſt, niſi quod per loci ſpatium aliqua longitudine, latitudine, altitudine ita ſiſtitur, vel movetur, ut majore ſui parte majorem locum occupet, & breviore breviorem, minuſque ſit in parte, quam in toto, non eſt corpus anima . . . . . Nam per omnes ejus* (corporis, cui nos medullam cerebri ſubrogamus) *particulas tota ſimul adeſt, nec minor in minoribus, & in majoribus major, ſed alicubi intenſius, alicubi remiſſius, & in omnibus tota, & in ſingulis tota eſt* [1]. Eadem eſt Angelici Praeceptoris [2] & Scholaſticorum omnium ſententia. Habes ergo mentis extenſionem ab extenſione corporum omnino diverſam.

XIII. Novi profecto, non deeſſe Philoſophos, qui mentis extenſionem ejuſmodi a Scholaſticis propugnatam, ut tota in toto corpore, & tota in qualibet parte ſit, ſarcaſmatis & cachinnis excipiant. At ii, mea quidem ſententia, & impudenter faciunt & imprudenter. Deum enim immenſum & infinitum, *in quo vivimus, movemur, & ſumus* [3], rerum univerſitati, quam numine ſuo gubernat & regit, non tantum virtute, ſed etiam ſubſtantia praeſentem eſſe, Socinianorum impietatem ejurans Chriſtiana nos docet religio; neque propterea quis dixerit, omnipraeſentia divinae ſubſtantiae ejuſdem ſimplicitatem labefactari; quandoquidem Deus *ubique eſt, & ubique totus eſt*, ut verbis utar B. Auguſtini [4]. Cur ergo incorporea mens hominis, ad imaginem Dei & ſimilitudinem facta, vel toti corpori, vel toti potius medullae cerebri, unde corpus univerſum, cui praeficitur, informet, gubernet & regat, ſubſtantia ſua ita praeſens eſſe non poterit, ut tota in toto, & tota in qualibet totius parte adhuc ſimplex & individua reſideat? Argumentationem hanc praeclariſſima mihi ſuppeditant Eccle-

ſiae

1 Epiſt. 28. ad Hieronym.
2 1. Part. qu.78. & ſeqq. & lib.2. cont. Gent. cap.68. & ſeqq.
3 Act. 17.
4 Enchir. cap. 1.

Digitized by Google

ſiae lumina Auguſtinus [1], & Ambroſius [2], qui eam ſic eleganter & magnifice exponit. *Sicuti Deus unus ſemper ubique eſt, omnia vivificans, movens, & gubernans, ſicut Apoſtolus confirmat, quod in eo vivimus, movemur, & ſumus; ſic anima in ſuo corpore ubique tota viget, vivificans illud, movens, & gubernans. Nec enim in majoribus corporis ſui membris major, & in minoribus minor, ſed in minimis tota, & in maximis tota.* Id ſolum humanam inter mentem & Deum intercedit diſcriminis, quod praeſentia Dei, utpote immenſi & incircumſcripti, nullis definitur limitibus; creata vero humanae mentis ſubſtantia ſui corporis, vel cerebri finibus, exiguis ſane continetur. Perſpexerat autem Ambroſius, perſpexerat Auguſtinus, Thomas Aquinas, & poſt ipſos Scholaſtici, niſi prorſus hebetes, & plane plumbeos effinxeris, perſpexerant, inquam, humanum corpus ſenſim incrementa ſuſcipere, & figura aliqua circumſcribi: ex quo ſane conſequi videbatur, ut mentis ſubſtantia & in ampliorem extenderetur locum, & aliqua definiretur figura. Nunquid proinde eorum aliquem prona haec conſequutio a ſententia deterruit? Noverant nempe, aliam eſſe corporum, aliam mentium extenſionem; quam etiam ſenſibilibus aſſueti, & vocum penuria laborantes extenſionem *improprie* appellamus, quum potius extenſae cuidam, ſeu corporeae ſubſtantiae praeſentia dicenda ſit. Ex quo etiam conſequitur, nullam, ſi accurate loqui velimus, mentis ſubſtantiae figuram tribui poſſe. Noverant, Deum ipſum ſimpliciſſimam mentem & immutabilem, ſi ampliorem finito hoc mundo, vel anguſtiorem conderet mundum (quod nemo inficiabitur, niſi Fataliſta, fieri a Deo poſſe), amplioris, vel anguſtioris mundi extenſioni ſubſtantia ſua, & *actione ad extra*, ut ajunt, praeſentem futurum; nec tamen idcirco ejus ſimplicitatem in diſcrimen adduci. Haec, velim, animadvertant ii omnes, quibus cordi eſſe debet ita philoſophari, ut non rationi revelatio, ſed ratio, quae ſaepe nos deſerit, revelationi, quae tuto ſemper nos ducit, feliciter inſerviat. Itaque in una mentis extenſioni corporeae praeſentia habes, quo *cauſarum occaſionalium*, & *har-*

1 Ep. 57.

2 Lib. de dignit. hom. cap. 2.

Digitized by Google

moniae praeſtabilitae ſyſtemata repudians, humanam libertatem ſartam tectam novo argumento tuearis (*) : habes quo divinam immenſitatem revelatione ſimul & ratione vindices a Socinianorum ſophiſmatis ; qui dum, ut argumenti vim e manibus noſtris eripiant, humanam mentem corpoream ſtatuunt, viam tibi ſternunt ad eos refellendos faciliorem.

XIV. Jam nunc in leges commercii praecipuas certiſſimis dumtaxat experimentis, quae intima cuicumque ſuppeditat conſcientia, determinandas inquiramus. Prima eſt, *nullum in organo corporeo motum excitari, quin perceptio aliqua ſuboriatur in mente; nec perceptionem ullam in mente, quin motus aliquis in corporis ſenſorio exiſtat*. Legis hujus pars altera perceptiones illas complectitur, quae mentis imperio non excitantur, quaſque ipſa mens interdum patitur vel invita; altera eas dumtaxat, quae imperio mentis excitantur. De prioris veritate neminem eſſe, qui vel leviter dubitare poſſit, exiſtimo. Sed etiam quod perceptio quaevis, mentis imperio excitata, rei abſtractae quantumlibet, & a ſenſu remotae corporeum motum ſibi neceſſario conjunctum habeat, non minus veritati conſentaneum videtur. Id evincunt; 1. Violenti ſpirituum motus, quibus in humanis affectibus, quales ſunt amor, ira, metus, invidia &c. ex praevii boni, vel mali perceptionibus, corpus concutitur; quicquid dicat Carteſius [1], qui perceptiones

(*) Eo potiſſimum nomine ſyſtema cauſarum occaſionalium cum Jaqueloto Wolfius rejecit (Pſych. Rat. §. 610.), quod humanam laederet libertatem. Ut ſuum argumento inſit robur, poni debet, vim omnem activam in ſyſtemate Malebranchiano menti adimi. Porro in eo totus eſt Malebranchius, (Recher. de la ver. liv. 6. part. 2. chap. 3.) ut oſtendat, Deum non ſolum nullam tribuiſſe creaturis agendi facultatem, ſed nec tribuere potuiſſe. Difficultatem quidem hanc ſibi Malebranchius proponit, & infringere nititur (Eclairciſſ. ſur le 6. liv. preuv. 6.); ſed non ſatis feliciter, ut ego arbitror.

Ejuſdem quoque criminis harmoniae praeſtabilitae ſyſtema a multis Philoſophis arceſſitum adeo notum eſt, ut illorum quemquam indicare ſupervacaneum omnino ſit. Collinſius reipſa Fataliſtarum omnium nequiſſimus Leibnitium a ſua ſententia haud multum putat alienum (Recherch. Philoſ.&c. pag. m. 285.) ; nec ejus profecto judicium, ut eſt in hominem Lutheranum, gravius mihi acerbiuſque videtur.

1 De paſſion. Anim. part. 1. art. 27.

nes ſpirituum motibus praeoccupari, produci, & conſervari docet; 2. Capitis labor, cerebri defatigatio, & aeſtus, quem ex meditationibus geometricis, arithmeticis, poeticis &c. ad aliquod tempus protractis creari ſentimus; cujus ſane laboris cauſa danda non eſt ſpirituum jacturae, quum hic perſpirata exhalatio minor ſit, quam quae ex curſu, aut palaeſtra, docente Sanctorio [1], Boerhaavio probante, [2] emitti poſſit; 3. Cogitationum perturbatio, memoriae detrimentum ex cerebri morbis; 4. Affectuum & judiciorum varietas ex varia corporis temperatione, ejuſque pro diverſis hominis aetatibus mutatio; 5. Meditationum noſtrarum vis major atque felicitas in tenebris & ſolitudine, quam in luce & turba.

XV. Porro obſervamus, ad eundem motum in organo excitatum ex ejuſdem objecti actione, eandem quoque menti noſtrae ideam conſtantiſſime repraeſentari. Sic Lunam ſeptima quaque menſis periodici die dichotomam conſpicimus; iridem multoties recurrentem certo colorum ordine variegatam ſpectamus; chorda muſica eundem ſemper dato tempore vibrationum numerum perficiente, eundem ſonum ſemper referri percipimus; ſaccharum centies lingua non vitiata deguſtatum centies dulce appellamus. Hinc jure ac merito inferimus, motus illos organi, qui perceptiones neceſſario comitantur, eoſdem conſtanter eſſe oportere, quoties in mente eaedem fuerint perceptiones, vel ideae. Ubi lemures, ſagas, ſpectra infantulis in memoriam revocant aniculae, ſimiles ſemper in eorum organis excitari motiones ex ipſa facie & oculis ad terrorem compoſitis facile agnoſcimus.

XVI. Secunda lex eſt. *Motus, qui a perceptionibus cauſam habent, perceptionum; perceptiones, quae cauſam habent a motibus, motuum intenſitati proportionales ſunt.* Primum ex affectibus, in quibus vehementer oeconomia corporis immutatur, manifeſtum eſt. Quo clarior & vividior fuerit mali alicujus impendentis in metu, aut injuriae illatae perceptio in ira; eo quoque validior eſt ſanguinis ac

1 Aphor. ſect. 7. num. 44.

2 Prael. Acad. ad 586. art. *debilitas.*

ac ſpirituum perturbatio, ut omnes experiuntur in amore, deſiderio, odio, invidia aliiſque. Secundum vero ſenſationum vis aperte demonſtrat. Quo uberior lucis copia ab objectis venit ad oculos, radiorum phonicorum ad aures, ſalium ad linguam, eo majori claritate, & diſtinctione ſenſatio viſus, auditus, guſtus in mente perficitur. Contingit interdum, organorum motus ab objectis excitatos adeo debiles vel *abſolute* vel *relative* eſſe, ut etiam mentis perceptio ſit valde obſcura, nullaque apperceptio, vel conſcientia. A Jovis ſatellitibus ſolares radii in noſtros oculos continuo remittuntur; at horum raritas tanta eſt, ut niſi teleſcopio condenſentur, nervos opticos vix commoveant; ideoque ſatellitum aſpectum nobis eripiant. Noſtros ſimiliter oculos fugiunt, micante crepuſculo, ſidera fixa; quod eorum lux cum luce crepuſculi comparata nimis languide retinam concutiat. Univerſe autem experimentis edocti ſtatuere poſſumus, perceptiones minus claras obſcurari a clarioribus una concurrentibus; ſicuti motiones minus vehementes, ſi una ſimul cum vehementioribus cerebrum pulſent, ab his quodammodo labefactari. Mens idcirco clariori intenta perceptioni obſcurioris vix conſcia erit.

XVII. Tertia lex eſt. *Sicuti ex corporeis motibus alii mentis imperio non ſubſunt, alii vero in mentis poteſtate ſunt; ita & perceptiones*. Legis hujus veritatem fatebuntur omnes, ſi diverſa tum motuum, tum perceptionum genera vel leviter animadvertant. Perceptionum tum ex voluntate in nobis exiſtentium, tum ex neceſſitate, quae mentem vel invitam interdum occupant, & torquent, experimenta & exempla cuicumque ſeipſum examinanti facile occurrunt. Praeterea quis ignorat, motus vitales, hoc eſt cordis, ſinuum, venarum, arteriarum, diaphragmatis, abdominis, ſpatiorum intercoſtalium, muſculi denique periſtaltici inteſtinorum, *neceſſarios* ideo nuncupari, quod nec in ſomno, nec ad nutum mentis unquam ceſſent? Neque certe Svvammerdamio [1], Borellio [2], Perraultio [3], aliiſque medicorum non paucis prudens Philoſophus aſſentietur, qui

1 Bibl. nat. de Ran. 2. pag. 844.

2 De Mot. Anim. 2. prop. 80.

3 Du Toucher 2. pag. 547., & du mouvem des yeux pag. 587.

Digitized by Google

qui tum vitalium, tum animalium organorum gubernaculum menti concedunt. Ad motus neceſſarios referri quoque opus eſt eos, qui ſenſationem omnem praecedunt, & ab objectis externis in ſenſoria incurrentibus, vel a cauſis in humano corpore latentibus generantur. Alios autem eſſe motus voluntarios, qui nempe perceptiones a voluntate pendentes conſequuntur, aperta res eſt. Oculos, manus, linguam, quoties libuerit, movemus. Immo huc etiam ii referendi ſunt, qui quamvis, animo non advertente, interdum peragantur, ex habitu tamen per animadverſionem paullatim acquiſito peraguntur, & ceſſant ad animae nutum.

XVIII. Mira profecto eſt tanta linguae in loquentibus, manuum in citharaedis, totius corporis in funambulis motionum facilitas, & celeritas cum incredibili varietate conjuncta. Sed qui animadverterit, quam diuturna exercitatione ac labore, quam conſtanti mentis attentione opus fuerit, ut corporis organa, ad motus hujuſmodi expedite peragendos compararentur, eos pro mechanicis non habebit, ſed maxime voluntariis; quod a Carteſianis potiſſimum perpendi debet, qui ſuorum automaton, hoc eſt brutorum, motibus hoſce motus analogos putant [1]. Debuit idcirco mens, ſiquidem reali commercio copulata ſit corpori, debuit, inquam, repetitis pluries experimentis motuum ejuſmodi gignendorum facilitatem & artem ſibi comparare, ut, ſe jubente, ſtatim peragerentur, ſe jubente, ceſſarent. Ignorat profecto mens, quo adminiculo, quo inſtrumento, quo actionis genere arcanos hoſce motus in corpore ipſa eadem velut domina & arbitra efficiat; at non, illos proinde ab animae vi & actione non proficiſci, quis dixerit. Mens vi propria & actione cogitationes ſuas potis eſt ex uno in aliud objectum, prout libuerit, convertere, avertere, & revocare, ut fatentur omnes, qui libertatem nudam non eſſe vocem agnoſcunt, & hominum deliramentum: qui tamen, quo pacto, quo niſu, quo actionis genere mens velit & nolit, cogitationeſque ſuas huc illuc dirigat, explanaverit, erit mihi magnus Apollo. Wolfius certe harmoniae praeſtabilitae aſſertor acerrimus, ſed non iniquus

1 Pardies de l'Am. des Bet. §. 11. & ſeqq.

Digitized by Google

quus rerum aeſtimator , Philoſophos reali commercio adverſantes ex ea ignorantia nihil poſſe proficere , fatetur , & monet [1].

XIX. Quandoquidem ergo nulla eſſe in mente perceptio poteſt, quin motus aliquis in organo corporeo perceptionem comitetur (§.14.); intelligimus, actionem mentis in aliqua idea revocanda, ſibique iterum repraeſentanda nil aliud eſſe, quam conatum renovandi in cerebro eam ſpirituum motionem, cum qua idea illa, quum primo menti objecta eſt, conjuncta fuerat, vel a qua primam habuerat originem. Quoniam vero ideae per ſenſationem acquiruntur, ubi ſpiritus animales ab exterioribus organis ad nervorum capita fluunt, eaque pulſant ; mens certam ideam revocabit, quoties ſpiritus animales a cerebro verſus organa exteriora ita pellat, ut ſimili modo refluant, & nervorum capita pulſent . Mens autem corpora externa in movendis ſpiritibus animalibus aemulatur quidem, ſed eorum vim, ceteris paribus, vi ſua non adaequat ; quod obviis patere poteſt experimentis. Senſationes proinde clariores; phantaſmatis, ſive ideis ad nutum animae revocatis, ceteris item paribus, eſſe debent . Quum idearum pleraſque claritatis, & diſtinctionis gratia vocabulis , aut aliis ſignis affigere conſueverimus (§. 28.) ; recurrente motione cerebri, qua vocabuli perceptio fit , en tibi eodem obverſantem tempore ideam rei , quae vocabulo affixa fuerat . Si rei tunc ſenſibus non ſubjectae ideam menti iterum ſiſtere cupias, fruſtraneo ſaepiſſime valdeque moleſto conatu laboras, niſi prius occurrat menti vocabulum . Objecta contemplare praeſentia, iridem, montem, ſolem , imaginare abſentia, rhombum, ellipſim, conum; facile animadvertes , ipſa ſimul rerum vocabula tibi tacito micare quodammodo in lingua , & in mentis penetralibus quaſi pronunciari.

XX. Hinc pronum eſt inferre, facultatem illam, quam habet mens , ideam aliquam diutius retinendi & contemplandi eſſe artem exercitatione ab ipſa mente comparatam conſervandi in cerebro eam motionem , & ſpirituum oſcil-

1 Pſychol. Empir. §.950. 956. & ſeqq.

oſcillationem (§. 10.), quae ex lege commercii huic adnexa eſt perceptioni; ſicuti viciſſim, quandiu in organo eadem perſeverat motio, & ſpirituum oſcillatio, velit ipſa nolit, eadem idea obverſatur, atque perceptio. Problema ſoluturus Geometra omni ſtrepitu & frequentia vacuum quaerit locum, ne una illa diuturna & conſtans cerebri motio, quam ad mentis obtutum in unam problematis ideam immobiliter defigendum conſervare fas eſt, aliis motionibus in ſenſorio excitatis perturbetur (§. 16.). Sunt qui uni motioni in cerebro, unique perceptioni in mente diu conſervandae ita aſſueſcunt, ut a ſenſibus quaſi abſtracti nec audire integris auribus, nec videre apertis oculis videantur, quoſque ab ea cogitatione nonniſi vehementiori organorum concuſſione revocaveris [1]. Hi proinde apti fiunt ſcientiis multum, ſocietati parum. Quod ſi inſuper hujus indolis homines ad certum quoddam ſtudiorum, & meditationum genus unice incumbant, cito laſsantur, cito tabeſcunt, & praeter modum melancholici evadunt. Unam enim eandemque cerebri partem, in qua homogeneae illae motiones fiunt, (§.6.) ceteris quieſcentibus, nimium defatigant, nec modo has fibras, modo illas alterna laboris & quietis viciſſitudine relaxant. Egregie illi ſapiunt, qui poſt profundas meditationes ad aliquot horas protractas in aliena ſe transferunt, ac rerum varietate hilaritatem tuentur & valetudinem [2].

XXI. Ars iſthaec mentis & vis rurſus excitandi motiones, & reſpondentes motionibus perceptiones praecipuum memoriae fundamentum eſt. Dico *fundamentum* memoriae, non *memoriam* ipſam; exigit enim memoria, non ſolum ut idea alias percepta percipiatur iterum, ſed etiam ut illam mens recognoſcat, ſive eam alias fuiſſe perceptam ſibi conſcia ſit. Pueris exoticam linguam addiſcentibus pluries idem recurrit vocabulum; haerent tamen frequenter, ac ſi nunquam antea perceperint. Porro idearum obſcurarum nulla eſt menti noſtrae conſcientia. Earum igitur & nulla recordatio eſse poteſt. Quoniam autem memoriae

vis

1 V. Wolf. Pſychol. Emp. §.244. & ſeqq.

2 V. Sanct. Aphor. ſect. 7. n.45. Boerh. Prael. Acad. §.586.

Digitized by Google

vis in revocandis ultro ideis jam antea perceptis potiſſimum elucet; facultatem eſse uſu & exercitatione comparatam, (§.19.) clariſſime patet. Non alio modo longas orationes, & poemata memoriae mandare, quam decies & centies eaſdem repetendo voces, conſuevimus pueri. Improbandam ſane diſcendi methodum commemoro, ſed aetati parem (*). Quis vero memoriam non ſolum a mentis vi, ſed etiam a cerebri conditione pendere non videt? Ut ideas olim perceptas ſibi mens praeſentes iterum ex voluntate ſiſtat, cerebri quoque motiones iis ideis adnexas pro voluntate ſua rurſus producat, neceſse eſt (§.19.). Neque ego Gorteri ſententiam probo [1], qui tametſi fateatur, memoriam eſse habitum exercitatione & corporis commercio acquiſitum, a corporis nihilominus vinculo & ſocietate, dum adhuc in vivis agimus, immunem tandem fieri contendit ac quodammodo emancipari. Propoſitionem ſuam ex mentis noſtrae immortalitate firmat Gorterus, cujus argumentatio huc reducitur. Mens non alia de cauſa poſt mortem corporis vivit, niſi quia ſtatuum praeteritorum memoriam ſejuncta a corpore conſervat adhuc; quum altera vita bonorum, aut malorum operum praemium, vel poena ſit. Talis ergo eſse evincitur mentis natura, ut poſt quam rerum ideas longa conſuetudine ſibi fecerit familiares, poſſit eas iterum, quoties libuerit, abſque praeſidio cerebri revocare. Verum argumentatio haec Gorteri, vereor, ne firmo ſtet talo. Si enim vita mentis poſt mortem corporis a rerum praeteritarum conſervata memoria repetenda eſt; conſequitur profecto, eos, qui nulla, dum vivunt mortalem vitam, rerum praeteritarum memoria gaudent, quales ſunt ſtupidi, & infantes, immortales, pereunte corpore, non futuros; quod noſtrae Religionis dogmatibus adverſatur.

XXII. Quae cerebri, quae nervorum, quae ſpirituum animalium ad memoriae felicitatem & magnitudinem a natura vel arte obtinendam optanda maxime conditio ſit, nec

(*) Longe facilius meditando, quam voces ſolummodo repetendo res memoriae mandantur: ibi enim idearum claritas & diſtinctio memoriam plurimum adjuvat; hic meras ſyllabarum ſonorumque ideas novus idearum torrens continuo delet.

1 De delir. §. 4.

Digitized by Google

nec definire auſim; nec aſſequi conjectura. Obſervationes nonnullae ad generales quaſdam conjecturas, non ultra tamen, poſsunt nos deducere. I. Animalia, quae majore dotur cerebro, perſpicaciora videntur, & pluribus ideo notionibus informata [1]. II. Infantes, quibus nimis adhuc molle cerebrum eſt, ſenes, quibus cerebri fibrae duriores, parum memoria pollent [2]. III. Spiritus animales alieno ſucco vitiati ſtuporem inducunt [3]. Itaque ad memoriae vim conferre plurimum & cerebri magnitudinem, & mediocrem mollitiem, ſuſpicari licet; ſpirituum vero puritatem, certo affirmare. Quomodocumque tamen ſe res habeat, Clèmenti VI., Laurentio Bonincontrio [4], Joanni Pico Mirandulano [5], Leibnitio [6], aliiſque multis ſingulari memoriae dono paſſim commendatis, non praeſtantiorem affingo animam, ſed cerebrum fortunatius.

XXIII. Miraculi autem ſimillimum eſt, quod quum idea quaedam menti rurſus fit praeſens, alia etiam idearum ſeries recurrat, & eo quidem ordine, quo pridem perceptae fuerant. Oratorem ad longam horam dicentem, puerum Virgiliani poematis numeros & verba tenentem miraremur, niſi rei frequentia admirationem omnem ſuſtuliſſet. Immo tum ideae, tum voces nativo ſeſe nexu conſequuntur, & fluunt, quin mens in earum ſingulas attentione ulla defatigetur, ullo conatu. Si Gaſſendiſtas, & Carteſianos, quibus hac in parte conſentit Hallerus [7], audiamus; per veſtigia ſpirituum animalium affluxu in ſubſtantia cerebri relicta, quorum unum emoveri non poteſt, niſi reliqua eodem ordine, quo formata fuerant, emoveantur, rem difficillimam paucis verbis expediemus, & phaenomenum ad cauſam mechanicam revocabimus. At ego haec ſpecioſa magis, quam vera, aut veriſimilia judico. Neſcio, an animadverterint, quot veſtigia, & veſtigiorum ſeries imprimendae cerebro ſint. Neſcio, an perſpexerint, fieri pro animae

1 V. Boerh. Prael. Acad. ad §. 599. & Haller. ib. not. 29.

2 V. Haller. ad §. 582. not. 2.

3 Gorter. Med. Dogmat. cap. I. §. 9.

4 Cardan. de ſubtil. lib. 12.

5 Politian. Centur. 1. Miſcell. c. 100.

6 In vit. Theodicaeae praefixa §. 173.

7 Prael. Boerh. not. 1. ad § 580.

mae voluntate poſſe, ut plicae illae, vel canaliculi non eodem ordine moveantur, quo primum inducti ſunt & ſuperimpoſiti; quum quis poſſit ad libitum, ſi memoria plurimum valeat, Virgilianos verſus Ovidianis, Ovidianis Homericos alternis miſcere, & inverſo etiam ordine recitare. Hoc ſatis evincit, & phaenomeni cauſam non eſſe mechanicam, & immenſam illam veſtigiorum ſtruem in abſurdum declinare. Si minus autem abſurdam dicere velis, inutilem ſaltem mecum ipſe fateberis. Habeat enim coram populo orator, quam memoriae mandavit, orationem. Quot ſunt in ea ſyllabae, aut ſaltem voces, tot ideae in mente, tot in cerebro a ſpiritibus animalibus emota veſtigia. At etiam quot ſyllabae, immo quot literae, tot ſunt ad concinnam pronunciationem linguae motus varii & incredibili celeritate inflexiones. Adde & pedum, ſi oratori libeat, & manuum, & oculorum, & capitis vocibus conjunctas motiones. Hi omnes linguae & membrorum motus eadem peraguntur dexteritate, facilitate, & ordine, quo cerebri motus reſpondentibus ideis affixi & deſtinati. Porro opportuni illi, expediti, & concinni membrorum motus non corporis mechaniſmum cauſam habent coecam, & neceſſariam, ſed ex ratione agentem animae voluntatem (§.18.): non veſtigiis cerebro olim impreſſis a Gaſſendo, Carteſio, Hallero, vel quoquam alio indigere cenſentur; ſed mentis dumtaxat in nervos & muſculos actione, dominio, & arte, quam longo uſu, & contentione magna ſibi ipſa comparavit, procul dubio peraguntur. Cur ergo idearum ſeries & ordines in memoriae exercitatione ſeſe evolventes explicaturi mancipium corporis mentem facimus, quum domina corporis ſit, eamque ab imperio ſuo dejicientes & poteſtate, ad cerebri mechaniſmum provocamus, & comminiſcimur portentoſa veſtigia?

XXIV. A mentis etiam nobilitate, & praeſtantia maxime abhorret, cerebri mechaniſmo referri acceptum, quod homines ſimus, vitam nempe vivamus inſignitam ratione & conſilio. Id certe memoriae debemus. Ratiocinatio enim idearum & judiciorum comparatio eſt. Comparari autem non poſſunt, niſi plures ſimul ideae menti praeſentes fue-

fuerint, niſi quae praeceſſerunt, retineantur, & ad ſubſequentes referantur. Aufer ergo menti memoriam; vitam hominis, vitam rationis abſtuliſti: nam, ſuperveniente poſteriori idea cum priori comparanda, haec jam intercidit & omnino deleta eſt. In hac miſerrima conditione noſcit homo ſe *nunc* exiſtere: at illud *nunc* punctum temporis eſt, quod cum idea continuo fluit. Licet ergo ſciat, ſe exiſtere, ignorat tamen extitiſſe. Vivit; ſed ſibi ſemper ignotus, ac veluti modo factus ex nihilo. Talis erat aegrotus ille Weſferianae hiſtoriae [1] periodos omnes imperfectas relinquens, quod priores evaneſcerent ideae antequam reliquae ſequerentur. Haec quoad leges commercii dicta ſufficiant. Aliae quidem multae ſunt; ſed eas, utpote inſtituto huic noſtro minus neceſſarias, recenſere & explicare omittimus.

XXV. Jam vero tres quoad cognitionem in mente diſtinguimus facultates (*), ſenſum nempe, phantaſiam, intellectum. Ad ſenſum rerum praeſentium, ad phantaſiam abſentium confuſa perceptio, ad intellectum perceptio quaevis diſtincta referri debet [2] (**). Ratio ad intellectum pertinet, & eſt facultas perſpiciendi univerſalium nexum veritatum [3]. Ex perceptione boni, vel mali appetitum, vel averſationem in anima noſtra oriri, nobis ipſis conſcii ſumus. Et quidem ſi oriatur ex perceptione boni confuſa, ex ſenſatione ſcilicet, aut imaginatione, appetitum ſenſitivum; ſi ex perceptione boni diſtincta, nempe ex intellectione & ratione appetitum rationalem, ſeu voluntatem nuncupamus. Libertatem tandem definimus mentis facultatem eligendi, aut fugiendi ex pluribus quidpiam,

1 N. 100. vid. Haller. pag. 258.

(*) Imaginationem, ſeu phantaſiam perperam cum ſenſu miſcet Tſchirnhauſius Medic. Ment. part. 2. §. 2. pag. 41. edit. Lipſien. 1695. & binas dumtaxat cognoſcendi diſtinguit facultates; quod non modo in Pſychologia, verum etiam in Ethica confuſionem & errorem parere poteſt.

2 Wolf. Pſych. Emp. §. 67. 93. 275.

(**) Idearum, perceptionum, mentiſque facultatum definitiones, & diſcrimina ex Wolfio accepta, nobiſque probata legenti ſignificamus; quo nemo accuratius, noſtra quidem ſententia, horum omnium naturam definivit, certioremque vocibus notionem affixit. Si ſecus quandoque fecerimus, opportune monebimus.

3 V. Wolf. Pſych. Emp. §. 483. & ſeq. Heinec. Elem. Phil. Rat. cap. 1. §. 2.

Digitized by Google

piam, prout nobis ex perceptione boni vel mali diſtincta, ſive ex ratione propria libitum fuerit (*). Ex quo intelligitur, nullam ei, qui ratione, aut rationis uſu deſtituatur, libertatem eſſe.

XXVI. Videamus nunc, quo pacto mens noſtra rerum notionibus imbuatur, rationis tandem particeps fiat, & ratione quandoque privetur. Nullam quidem ſecum defert ideam ingenitam (§. 2.); ſed nihilominus corpori organico conjungitur, in quo perennis eſt fluidi nervei circuitus, perennes ex nutritione, cordiſque motu mutationes; has proinde ex lege commercii (§. 14.) non poteſt mens non percipere, & a percipiendo unquam quieſcere. Hic autem obiter animadverto, jam expeditam amotamque eſſe difficultatem, qua nos premi arbitrantur nonnulli Philoſophi, dum aſſerimus, mentem noſtram a perceptione nunquam ceſſare. At quoniam tum ſpirituum motiones omnes languidae nimis ſunt, nimis aequabiles, tum ipſa mens in ſuarum uſu facultatum novitia adhuc & inexperta, nonniſi confuſis, obſcuriſque frui poteſt ideis (§. 16.), quarum nulla conſcientia, ſive *apperceptio* [1] eſſe poteſt, memoria nulla. Ex quo autem in lucem editur homo, ſenſibilia objecta in externum quodvis ſenſorium agere, & pro ſua varietate varias ad animi ſedem ſpirituum motiones tranſmittere incipiunt. En ſenſuum beneficio plurium menti comparatam ſupellectilem idearum; quae licet ab initio ob rei novitatem obſcurae ſint, & confuſae, longiore tamen conſuetudine, & mentis cum iis familiaritate vividiores fiunt in dies, atque clariores (§. 21.). Hinc mens & eas conferre inter ſe, & earum percipere relationes pro ſuis facultatibus potis erit. Ejuſmodi tamen perceptiones non intellectus, ſed ſenſus judicia ſunt, ſive *judicia naturalia*, ut vocat Malebranchius [2]; quandoquidem idearum, etſi non claritas, deſi-

de-

(*) Quamvis non una ſit penes omnes Philoſophos libertatis definitio, eam tamen a ratione pendere non negant, niſi qui libertatem nudam eſſe vocem arbitrantur. Leg. B. Thomas p. 1. qu. 82. art. 1. Jaquelot de l'Exiſtenc. de Dieu pag. 381. Wolf. Pſych. Emp. §. 880. 941. Genuenſ. Elem. Metaph. part. 2. def. 13. & Append. ad cap. 4. §. 4.

1 Vid. Wolf. Pſych. Rat. §. 16. & ſeqq.

2 Rech. liv. 1. chap. 7.

deratur tamen diſtinctio [1]. Ubi vero mens in ideis contemplandis attentione, reflexione, abſtractione uti noverit, objecta, & objectorum relationes ſibi diſtincte repraeſentat, ſuique vires exſerens intellectus [2] univerſalium notionibus veritatum ſenſim imbuitur, & ad earum nexum perſpiciendum aſcendit, hoc eſt ratione pollet & uſu rationis [3].

XXVII. Fatendum tamen ingenue eſt, hominem nonniſi ſeram, atque breviſſimam, ſi ſolis intellectus ſui viribus uteretur, rationem conſequuturum. Scilicet educatio, inſtitutio, cum aliis hominibus commercium atque ſocietas potiſſimum efficit, ut ideae abſtractae, diſtinctaeque formentur, ratiocinandi facultas evolvatur, veritates univerſales, earumque nexus perſpiciantur. Da hominem in ſylvis educatum, & ab aliorum hominum commercio prorſus ſejunctum: ejus cognitio brutorum cognitionem vix, ac ne vix quidem fortaſſis excedet. Exemplum nobis exhibent probatiſſimum homines, qui in Lithuaniae nemoribus fato neſcio quo miſero inter urſos educati non ſolum rationis uſu, ſed & ſtatuum praeteritorum memoria prorſus deſtituti inventi ſunt. Horum alterum Johannes Petrus van-den-Brande in aula Britannica legatus Batavus, quum anno 1669. Varſaviae degeret, propriis oculis viderat: de altero ab urſorum ſocietate an. 1694. ſubtracto Bernardus Connor fidem facit non dubiam [4]. Reipſa abſque reflexione, & abſtractione nulla eſſe poteſt idearum diſtinctio, ideoque nec ratio ulla (§. 26.). Porro mens humana ſibi ipſi relicta, nulloque culturae adjuta praeſidio, reflexioni vix aſſueſcit, niſi quum eam in id impellat urgens vitae neceſſitas, & naturalis mala impendentia vitandi conatus; quem etiam in brutis ratione carentibus cognoſcimus. Divino idcirco factum conſilio eſt, ut primus omnium parens, quo filios ſuos, & omnem per eos poſteritatem veritatum notionibus imbuere poſſet, perfecta jam & ſuis numeris abſoluta ratione praeditus conderetur.

1 Wolf. Pſych. Emp. §. 287.
2 V. Wolf. ib. §.275.& ſeqq. Loke Eſſai liv. 1. chap. 1. §. 15. 15. 16.
3 V. Wolf. ib. §. 484.
4 Ap. Wolf. Pſych. Rat. §. 461.

XXVIII. Quum autem dicimus, inſtitutione, & ſocietate rationem formari, & adoleſcere, vocabulis & vocabulorum uſui id praeſertim deberi contendimus. Vocibus enim non tantum ideae, & animi ſenſa invicem inter homines communicantur; non tantum ideae ipſae determinatis quibuſdam expreſsae vocibus clariores fiunt, atque diſtinctae, ſed etiam res olim perceptae, ita memoriae, ſine qua rationis uſus eſse non poteſt (§. 24.) inhaerent, ut ſola vocabulorum recordatione iterum menti, quoties libuerit, praeſentes fiant: immo mens ipſa a vocabulorum oblivione capta eas ſibi rurſus contemplandas objicere nequicquam conetur. Quaecumque alia ſigna ad exprimendas animi perceptiones inventa ſatis anguſtum, ſi cum ſermone comparentur, uſum habent & utilitatem; quum vix ſenſibilia exprimere ſufficiant. Juvenis ille a nativitate ſurdus & mutus, cujus hiſtoriam ſingularem Academici Pariſienſes teſtatam nobis reliquerunt [1], ea omnia, quae in externo religionis cultu Chriſtiani faciunt, per annos 24., quos in hominum commercio tranſegerat, a parentum exemplo edoctus imitabatur. Vehementi campanarum ſonitu percuſſis auribus, auditus illico ad cerebrum via patefacta eſt: tum ille & loquentium voces percipere, & patriam linguam addiſcere, & religionis myſteriis informari, & anteactae vitae conditionem diligenter interrogatus exponere potuit. Tunc ſane nulla in eo homine rationis ſemina, nulla idearum abſtractarum veſtigia, nullam Dei, mentis, honeſtatiſque notitiam fuiſſe, ſed vitae dumtaxat animalis uſuram, intellectum eſt. Hinc Eccleſiae proceribus & miniſtris cavendum maxime arbitror, ne hominibus a nativitate ſurdis & mutis ea Chriſti Sacramenta, quae rationis uſum neceſſario exigunt, nimis facile & confidenter externa rationis ſpecie decepti impertiantur.

XXIX. Ex eo autem, quod inſtitutioni & ſocietati rationis uſus magna ex parte debeatur, inferre quis poſſet, aliam aliis pro educationis & commercii varietate, non unam communem omnibus, atque immutabilem eſſe oportere rationem: ex quo ſane fieret, ut quae a nonnullis rectae ra-

1 Hiſtor. an. 1703.

rationi conſentanea,ab aliis maxime repugnantia,non ſine magna hominum pernicie, & Dei dedecore dicerentur. Hoc breviter, tametſi longam poſtularet orationem, perſequamur. Statuendum primum eſt, eum hominem rationis compotem non appellari, qui principia quaedam, vel propoſitiones univerſales, licet veras, alieno dumtaxat judicio & auctoritate confiſus probat; ſed qui veritates ipſas, earumque nexum aut *intuitione*, aut *conſcientia*, aut *ratiocinatione* perſpiciat. Ad hoc autem lumen humanae mentis acies, niſi ſenſoriorum, motionumque corporearum, inſtitutionis, ſermonis, & commercii beneficio non venit. Porro tum idem omnibus ſenſuum numerus, tum organorum ſtructura ſimilis, tum plurium vocabulorum ſignificatio eadem, tum ratiocinandi vis omnibus omnino hominibus, ſi corpore bene valeant, conceſſa, tum tandem natura ubique eadem, ſemperque ſibi conſtans eandem omnibus rerum ſeriem, & ordinem objicit contemplandum. Diſcrimen & varietas, cui in his ſingulis diverſi homines obnoxii ſunt, ad modificationes maxima ſaltem ex parte pertinet, non ad ſubſtantiam. Majoris aliis diametri, aliis minoris ſol, aut luna videri poterunt; at lucere utrumque, utrumque oriri & occidere omnibus aeque perſpicuum. Infinitae hujus generis ſunt; multae, quae vitae conſervationem, quae ſocietatem, quae religionem ſpectant, omnibus communes notiones. Itaque educatio quantumvis rudis & barbara, ſicuti nec rerum naturam, nec humani corporis ſtructuram immutare; ita nec ideas, quae primo in mentem illabuntur, aut invertere poteſt, aut abolere. Quapropter vel homo educatione, aut ſermonis uſu privatus numquam veritates percipiet, numquam rationis compos efficietur, vel ſi educationis & ſermonis auxilio aliquando ratiocinabitur, rationem quamdam communem omnibus conſequatur, neceſſe eſt [1]. Quis umquam homini utenti ſenſibus perſuaſerit non exiſtere corpora? totum eſſe ſua parte minus? vitam conſervari dolore? honoris cauſa percutiendos parentes? Deum laceſſendum injuriis? Communis haec ratio, quam *rectam rationem* jure appellamus, eas omnes veritates comple-

1 Vid. Genuen. Elem. Metaph. part. 2. ſchol. ad def. 2.

Digitized by Google

plectitur, quae *intuitione* perſpiciuntur, quaeque cum iis neceſſario vinculo connectuntur: eaque licet in homine major eſſe poſſit, aut minor, prout ille plures, vel pauciores perſpexerit veritates; ſtante tamen hoc univerſi ſyſtemate, ſeu rerum ordine, nulla poteſt hominum conſpiratione, nullo vel ipſius Dei conſilio inverti, aliaque *ratio* prioris loco ſubſtitui. Hoc enim ſtante ſyſtemate, leges morales, atque mechanicae ſunt omnino immutabiles; ideoque immutabiles veritates, immutabilis ratio. Hinc facile eſt deducere, Carteſianos vortices nonniſi in eo ſyſtemate fore rationi conſentaneos, in quo corpora ſeſe invicem impellentia nihil ſui motus deperderent; poteſtatem, quam Hobbeſius facit principibus frangendi fidem, quoties ſibi detrimenti nihil ab adverſario timere poſſunt, nonniſi in eo ſyſtemate, in quo homines non ad ſocietatem, ſed ad diſcordiam & bellum naſcerentur: in nullo autem ſyſtemate conſentaneam rationi futuram eam Dei legem, qua praeciperetur, ut ſupremum Numen blaſphemiis, odio, diriſque execrationibus coleretur, quod Vaſqueſio [1], per imprudentiam excidit. Numquid enim, mutato utcumque ſyſtemate, divina natura mutari poteſt?

XXX. Eſt etiam *alia ratio*, quae cum ab ideis pendeat, pro varietate temperamentorum, ſtudiorum, aetatum, affectuum, morum, conſuetudinum, rerumque ſtatuum mutabilibus, & ipſa mutabilis eſt, nec omnibus communis hominibus. Hanc proinde *rectam*, vel *non rectam*, niſi forte relative, perperam appellaveris. Quam diverſa fuerint Romanorum & Carthaginenſium cum in Religionis, tum in Reipublicae negociis judicia libertatis, notiſſimum eſt [2], quaeque Carthaginenſibus maxime commendata, Graecis improbata, ex Ariſtotele [3], intelligimus. Tales judiciorum viciſſitudines in omnium gentium hiſtoriis paſſim occurrunt. Immo vero univerſi humani generis rationem per aquarum Noeticam alluvionem, qua tota tellus obruta fuit, inſignes paſſam arbitror mutationes. Alia erat ante dilu-

1 Controv. Illuſtr. lib. 1. cap. 27. num. 9.

2 Juſtin. l. 18. c. 6. Plut. de Su. perſt. Cic. orat. 2. in Rull. &c.

3 De Republ. lib. 2.

diluvium athmoſphaerae, telluris, humanaeque vitae conditio. Tunc veriſimillime non pluviae, non iris, non nubes, non turbines, non fulgura, *& humanas motura tonitrua mentes*. Uberrima tunc terrae fertilitas, hominum vita ſatis longaeva: quae duo potiſſimum in cauſa fuere, cur omnis caro viam ſuam corruperit [1]. Mutato inſigniter per diluvium terrae ſyſtemate, hominum quoque ideas & judicia mutari plurimum, mutari rationem debuiſſe, liquido conſtat.

XXXI. Verum humanae mentis imbecillitas, & miſeria non magis ſe profert, quam quum rationis uſum diuturno plurium annorum labore comparatum mens ipſa deperdit. Infandum hoc & luctuoſiſſimum infortunium, quo ex humanae praeſtantiae ſede in brutorum quodammodo humilitatem dejicimur, pro diverſo cauſarum, & effectuum genere, amentia, furor, apoplexia, lethargus, ebrietas &c. nuncupatur. Sunt autem hi omnes animi ſimul & corporis morbi. In corpore vitiatum cerebrum, in animo vel deletas ideas, vel abruptum idearum nexum & orbem commiſeramur. Cauſas, quibus elegantiſſima humani cerebri machina utcumque labefactatur, inveſtigare noſtri non eſt inſtituti. Praeſtantiorum ſolummodo aliquas referemus Medicorum obſervationes, per quas, qui fieri poſſit, ut rationis munere privetur humana mens, quoad licet, intelligamus. Amentium cerebrum mechanicis vitiis affectum, teſte Lanciſio [2], Hallero [3], Pariſienſibus [4], frequentiſſime inventum eſt. Ebrietatem ob auctum ſanguinis ad caput impetum & copiam generari, pro comperto Medici habent [5]. Hinc ebrios per venae ſectionem continuo ad ſanam mentem redire didicimus. Apoplexiam plerumque fieri a ſanguine, lethargum ab aqua in cerebrum effuſa, luculentiſſimis compererunt obſervationibus praeter alios Boerhaavius [6], atque Wepferus, qui uberrimam apoplecticorum deſcripſit hiſtoriam [7]. Cheſeldenius pariter, in lethargicorum cerebro

aquam

1 Geneſ. *6*.
2 De ſede cogit. anim.
3 Loc. cit. not. 4. ad §. 586.
4 Hiſt. de l'Acad. an. 1705.
5 V. Boerh. Prael. Acad. §. 591. 599. & Haller. ib.
6 Comment. tom. 2. pag. 584.
7 De Morb. Capit. & de Apopl.

Digitized by Google

aquam ſemper ſe inveniſſe, teſtatur [1]. Seſquilibram ſanguinis in cerebri effuſam ventriculos ſoporem feciſſe, & lateris utriuſque paralyſim, ſcribit Hamelius [2]; ſtupiditatem in alio ex veſica flavo liquore plena cerebrum premente genitam, Fantonus [3]; item e depreſſione cranii, Hildanus [4]; ex tumore ſcyrrhoſo corpus calloſum comprimente, Wepferus [5]. Huc quoque pertinent obſervationes illae, quas ex cerebri laeſione ſenſum deleri demonſtrantes ſuperius adduximus (§.5.6.). In his, aliiſque ſimilibus morborum generibus abolentur ideae, non earum ordo & nexus invertitur. Invertitur autem in delirio, in ebrietate, in inſomnio, in vehementibus quibuſdam animi pathematibus, aliiſque affinibus morbis, in quibus aegri tam portentoſa concipiunt, & copulant, *ut nec pes, nec caput uni reddatur formae*. Mentis ejuſmodi aberrationes quicquid ſpirituum motum vehementius perturbat, & concitat, cauſam habent. Meningum cerebri inflammationes, acre ſerum cerebri ventriculos, vel meninges vellicans & irritans delirium progenerare, ex Gortero abunde didicimus [6]; cui mirifice conſonat Wepferus, qui in hominibus ex febre cum delirio extinctis ſemper ſe plurimam ſub pia matre lympham reperiſſe, commemorat [7]. In animi vividioribus affectibus ſanguinem & ſpiritus validiſſime commoveri, domeſtica quemcumque docent experimenta. Inſomnia tandem ex iis gigni cauſis, quae ſanguinem propellunt ad caput, coena largiori, duriori cibo, vel flatulento, uberiori vino, opio, ſemine cannabis, nimio inſuetoque ſtragulorum calore, decubitu incommodo, animadvertit Hallerus [8]. Quoniam vero ſomnus eſt quies inſtrumentorum motus, & ſenſus ob nervearum ex cerebro prodeuntium fibrarum languorem, quae flacceſcunt, & collabuntur [9]; niſi communis ſenſorii pars aliqua libera ſit, & a ſpiritibus perluſtretur, reliquis medullae partibus collabentibus, nulla eſſe poſſunt inſomnia,

1 Anat. lib. 3. cap. 14.
2 Hiſt. Acad. Pariſ. pag. 214.
3 Opuſc. Scientif. tom. 3. pag. 162.
4 Centur. 3. obſerv. 12. & 21.
5 De Apopl. pag. 277.
6 Medic. dogmat. cap. 1. §. 22. & ſeqq.
7 De Morb. Capit. pag. 352.
8 Loc. cit. not. 5. ad §. 599.
9 Boerh. loc. cit. ad §. 590. *dormiturit*. Haller. ib. not. 1. ad §. 593.

Digitized by Google

mnia, quae ſomnum aut turbent, aut mulceant [1]. Opportune autem monet Hallerus, cauſas mox recenſitas, quae inſomnium producunt, inaequalem facere omnes ſanguinis in nobis circuitum; ut proinde ſanguinis ipſius conatus aliam communis ſenſorii regionem apertam teneat & perviam, aliam vero intercludat.

XXXII. Jam qui fiat, ut apoplexi graviſſima, vel lethargo oppreſſi non ratione tantum, ſed etiam quarumcumque idearum vel ſenſu, vel imaginatione, vel animae nutu excitatarum contemplatione priventur, non aegre poſſumus intelligere. Nulla eſt in mente ope ſenſuum perceptio, niſi fluidum nerveum ab exterioribus organis ad animi ſedem propellatur, reprimaturque; nec perceptio ulla ex mentis voluntate, niſi mens ipſa fluidum verſus exteriora urgeat, ut ad ſuam originem retro fluat (§. 19.). At quum medulla cerebri undique comprimatur (§. 31.); ab exterioribus organis ad nervorum originem, & animi ſedem nec patet ſpiritibus aditus, nec ab animi ſede & nervorum origine verſus organa exteriora regreſſus & oſcillatio. Mens ergo in tenebris jaceat, neceſſe eſt; debiles enim illi & incompoſiti ſpirituum motus, qui cum ſanguinis prope medullam circuitu neceſſario conjuncti ſunt, confuſas dumtaxat ideas menti objiciunt, quarum nec conſcia eſſe poteſt (§. 16.). Aegris ejuſmodi concuſſo capite, aliquam cognitionis uſuram conceſſiſſe interdum Peyronium, lego [2]. Cauſa mihi plana & aperta videtur. Ea capitis concuſſione fieri debebat, ut fluidum, quo medulla cerebri comprimebatur, emoveretur; emotum autem compreſſionem aliquantiſper relaxaret, ac ſpiritibus animalibus per nervorum fiſtulas effluendi libertatem concederet.

XXXIII. Quod ſi morbi vis medullam non opprimat univerſam, ſed aliquam dumtaxat partem, ut non raro contingit; mens tum aliqua ſenſatione, tum aliquibus ideis, quae motionibus in regione cerebri inoffenſa excitatis reſpondeant (§. 6.), frui poterit, nequaquam vero ratione. Homo enim ratione utitur, quum veritatum univerſalium ne-

1 Boerh. ad §. 599. *Inſomnia*. 2 Hiſt. de l'Acad. 1741. pag. 296. 293.

nexum perſpiciens & earum alias cum aliis, & cum ſuis actionibus, & cogitationibus libere poteſt comparare (§. 26.). Itaque ſi mens cerebri impedimento detineatur, ne, quas ſibi libuerit, motiones excitet, quoad ſibi libuerit, conſervet, quando ſibi libuerit, revocet, corporis mancipium erit, non domina, nulla ideas revocandi, detinendi, contemplandi, nulla judicandi, nulla ratiocinandi libertate gaudebit. Poterit quidem mens nonnullas ideas abſtractas revocare, nonnulla edere judicia, nonnullas perficere ratiocinationes, iis dumtaxat cerebri indigentes motionibus, quae in illaeſis fibrillis peragi queunt, ideoque aliqua uti rationis ſpecie. At nego, hanc eſſe liberam illam, integramque rationem, quam tum naturales leges exigunt, tum divinae, ut homini actiones imputentur, & honeſtatis regulis ſubjiciantur.

XXXIV. Propoſitionem utramque veritati conſentire, ex quorumdam ſomniorum indole ita mihi firmiter perſuadeo, ut nihil adhuc mihi cogitanti occurrerit, quo ab ea perſuaſione abduci potuerim. Quid ſit ſomnus in corpore, quae in ſomnio corporis conditio & ſtatus, jam diximus (§.31.). Somnus autem quoad mentem eſt ſtatus ipſius mentis, in quo clarae omnes ſenſationes omnino ceſſant. Si claris ceſſantibus ſenſationibus, phantaſmata clara non deſint, ſomno accedit inſomnium. In ſomno ſtatus mentis & corporis proportionales eſſe, quo nempe gravior eſt in corpore inſtrumentorum motus & ſenſus quies, eo pauciora eſſe & obſcuriora phantaſmata, infinitis obſervationibus demonſtrari poſſet. Hinc fit, ut in ſomno profundo rara, vel nulla, in levi frequentia ſint ſomnia. Suos habet gradus ſomnus in corpore. Quidam homines ita jacent ſopore oppreſſi ac ſepulti, ut eos majorum tormentorum ſtrepitu vix excuſſeris; quidam vero, quos ſomnambulos appellamus, ita moventur, & ſentiunt, ut a vigilantibus vix ſejunxeris. Quum ii & loquentes audiant, & interrogantibus reſpondeant, & omnes fere muſculos voluntarios agitent, neſcio, an aliorum nervorum, praeter quam opticorum, fibrae in illorum cerebro langueſcant & torpeant. Dormiunt tamen. Non rara vero & recentiora

ſo-

Digitized by Google

ſomnambulorum exempla [1] efficiunt, ut vetuſtioribus [2] fidem non abrogemus. Quemadmodum autem concinni illi motus membrorum & expediti a corporis mechaniſmo non fiunt, ſed ab animae nutu (§.18.); ita & perceptiones, motuum voluntariorium duces & comites (§.14.). Neque ſolum ex animae imperio, ſed etiam ex ratione tum motus, tum perceptiones gigni, convincimur, quod ſomniantium nonnulli mentis omnes facultates aptiſſime exerceant, judicent nimirum, ratiocinentur. Rationis enim ſolummodo eſt, rite carmina condere, quod Sennerti [3] ſomnambulo, ſubtiliora Philoſophiae capita ex diſtinctis notionibus demonſtrare, quod ſomnianti Wolfio pluries contigit, ut idem ipſe teſtatur [4]. Quis autem virtuti det, vel vitio ſomniantium geſta, quod honeſtatis legibus vel conſentanea, vel adverſa videantur? Aliud ergo eſt ratione uti, aliud eſt ratione libere uti: alterum ſtare poteſt, etiamſi aliqua medullae cerebri pars impedimento detineatur: alterum, niſi tota medulla expedita fuerit, ut mens omnes omnino idearum provincias ad libitum luſtrare queat (§.6.), ſtare non poteſt.

XXXV. Cauſa vero, qua mens in delirio, quod ebrietatem morboſque acutos conſequi ſolet, ſibi non conſtet, obvia magis eſt & conſpicua. Excitata in cerebro certa motione, certa ſuboritur in mente perceptio (§.15.). Perceptionem hanc impedire non poteſt mens, niſi perceptionem aliam clariorem, & vividiorem ſubſtituat (§.16.); ideoque motionem in cerebro, priori illa validiorem, excitet, quum ſint perceptiones cerebri motionibus proportionales (§.20.). Porro vis mentis ad cerebri motiones gignendas definita certis limitibus eſt; quumque ſenſationes phantaſmatis ad nutum animae revocatis clariores eſſe ſoleant; intelligimus, ad movendum cerebrum plus virium eſſe in corporibus ſenſoria noſtra afficientibus, quam in mente (§.19.). Quam ob rem ſi vel meningum inflamma-

1 Vid. Hildan. Cent. 2. Obſervat. 84. 85. Sennert. Medic. Pract. lib. 1. part. 2. cap. 18. 19. Opuſc. Scientif. tom. 10. pag. 24. &c.

2 Diog. Laert. lib. 9.

3 Loc. cit.

4 Pſychol. rat. §. 419.

Digitized by Google

mation, vel acri fluido cerebrum irritante, vel epoti vini vi, vel alia ſimili cauſa ſpiritus animales motu valido, & incompoſito cieantur; mens ad contranitendum nequaquam valens, eas ideas, quae inordinatis illis motionibus affixae ſunt, contemplari, & componere adigetur, ac praepotente ſpirituum impetu abducta *humano capiti cervicem junget equinam*, *ſerpentes avibus geminabit*, *tigribus agnos*.

XXXVI. Delirant alii voluntate potius, quam morbi alicujus oppreſſione, quatenus nempe aut triſtitia, aut alio quovis moleſto animi affectu occupati, in unam pertinaciter cogitationem mentis obtutum defigunt: multa animo verſant, & ad eam unam referunt omnia. Hinc diuturnam illam ideam reliquis omnibus vividiorem efficiunt (§.20.), cum aliis ideis, a quibus illa toto abeſt caelo, conjungunt, & mens denique, idearum claritate & familiari connexione decepta, errori praebet aſſenſum. Damocles ille Hippocraticus caecum ſe, & omnibus rebus imparem conſtanter credebat [1]. Alius quum ſe vitreum putaret, accedentes magnis arcebat clamoribus [2]. Ditiſſimum hominem de paupertatis anguſtiis conquerentem, alium, homicidii ſibi crimen inurentem Wepferus commemorat [3]. Inſignis quidam Pariſienſis cauſidicus urinam conſulto continebat veritus, ne, ſi exprimeret, vaſtiſſimam urbem ſubmergeret, teſte Boerhaavio [4]; qui, clariſſimum quoque virum pro certo habentem ſtramineis cruribus ſuum fulciri corpus ſe vidiſſe, refert. Ejuſmodi amentes, ſi peculiarem illum excipias errorem, praeterea ſani, ſuique compotes eſſe ſolent. In his nec cerebri medullam, nec ſpirituum animalium puritatem ullo modo laeſam putaverim; ſed id ſolum ineſſe vitii, quod motionem erroris ideae affixam jam nimis vividam, nimis expeditam, ac fere neceſſariam conſuetudine effecerint; eo fere modo, quo palpebrarum demiſſionem, tremorem, nictationem ad quodvis corpus repente ante oculos agitatum neceſſariam

1 Hippocr. Epidem. 5.
2 Lok. Eſſai liv. 2. chap. 11.
3 De Morb. Cap. Obſerv. 89. 91.
4 Prael. Acad. ad §. 586. art. *Emendare*.

Digitized by Google

riam tandem ex conſuetudine facimus, quamvis ad motus voluntarios pertineat. Dico ad motus voluntarios pertineat; nam recenter nati infantes, ſi manum prope eorum oculos agitaveris, non nictant palpebris adhuc periculorum ignari. Re ipſa hoc amentium genus nullo medicinae praeſidio ſanari poteſt; ſed potius ad ſanam mentem redit, ſi aliis objectis propoſitis a moleſtae ideae contemplatione avocetur, vel vehementiori motione ſtratagemate aliquo excitata in ſenſoriis percellatur, ut mens clarae perceptioni, ſed fallaci, clariorem veramque opponens, errorem tandem agnoſcat, & ad ſe redeat (*). Id ſane, ſpirituum indolem nondum vitiatam, & medullam cerebri illaeſam adhuc ſervari, argumento eſt. Atque idcirco illorum actiones, ſi eas dumtaxat excipias, in quibus jam ex neceſſitate, tametſi ex voluntate primum, delirant, ex libera ratione procedunt, & honeſtatis legibus ſubjiciuntur. In horum amentium claſſem eos quoque homines plus aequo religioſos, ſeu ſuperſtitioſos, qui vulgo *ſcrupoloſi* nuncupantur, jure referimus. Quis enim eos in humanis actibus ad legum normam judicandis quandoque delirare, negaverit? Spirituum tamen animalium indolem, & ipſam medullae ſubſtantiam, ſi longiore tempore hoc delirio conflictentur homi-

(*) Hac methodo eos homines felicius ſanari, monet Boerhaavius. De eo, quem priori loco ex ejus teſtimonio mox memoravimus, factum ſic narrat „ Retinuit lotium certo periturus, niſi medici dolum inveniſſent. Juſſerunt exclamari, ingens „ incendium ortum eſſe, nullam in „ humano auxilio ſpem ſupereſſe. Ille, ut populum ſervaret, minxit „ uncias urinae tres, quatuorve, & „ ſimul errorem depoſuit.

De ſecundo autem „ Pertinax ille, „ inquit, parcenſque ſtraminibus nolebat inniti fulcris fragiliſſimis, ne „ colliſis feſtucis collaberetur. Tandem amici inſtantiſſimis precibus „ ita fatigant hominem, ut pedes muniret ocreis firmiſſimis, ne forte „ frangerentur, tutuſque hoc praeſidio in carpento rus peteret laxandi animi cauſa. In ipſa via duo ſtudioſi larvati diſpoſiti erant, qui ab „ uno latere rhedae adſilirent ſtrictis „ gladiis, & latronum habitu, alterum vero vehiculi latus liberum „ relinquerent. Noſter oblitus ſtramineorum crurum praeceps ſe in „ fugam dedit valido ſaltu, & eo „ ipſo temporis momento ſanatus eſt; „ atque ab eo tempore millies deploravit imbecillitatem ſcientiarum „ humanarum, quum videnti ſibi, „ & tangenti aeque certo conſtitiſſet, „ crura ſtraminea eſſe, ac nunc conſtaret, eadem vera crura eſſe.

Digitized by Google

homines, vitiari etiam poſſe, fatendum eſt. In maniacis revera cerebri vaſa multo atroque ſanguine infarta non infrequenter reperiuntur, ſicuti penes Hallerum Bonnetus teſtatur [1]. Tunc vero delirium, & mentis aberratio, non ad aliquarum dumtaxat, ſed ad omnium idearum orbem extenditur, & quacumque rationis ſpecie hominem ſpoliat (§. 33. 34.).

XXXVII. Ceterum dum mentem dicimus delirare, cavendum eſt, ne in mentem ipſam refundamus delirium, quod nonniſi vitiato corporis mechaniſmo debet adſcribi. Tunc ſolum anima deliraret, cum integro cerebro & organis omnibus, commercii inverſae leges animi labe conſpicerentur, & motionibus cerebri perceptiones harmonicae non reſponderent. At vero, quod tamquam praeſentia interdum concipiat, quae quam longiſſimae abſunt, quod conjuncta ſejungat, ſejuncta copulet, quod dulce faciat amarum, amarum dulce, dum cerebri hoc exigit, & organorum conditio, in laude potius, & commendatione poni debet, quam dedecore mentis & crimine; quandoquidem ut in ſua ſubſtantia incorruptibilis eſt, ita & in ſuo foedere per Deum ſancito cum corpore ſeſe fidiſſimam praebet, & immutabilem. Quapropter ſi hominum reſpublica exiſteret, in quorum ſingulis eadem eſſent organorum vel cerebri vitia, & conſtanti pariter lege vitia illa conſervarentur, aliis ipſis rerum ordo videretur, alia foret perceptionum ſeries, alia denique ratio (§. 30.); nec eos idcirco quiſquam jure diceret delirare. Licet ambobus oculis, ut aliquo utamur exemplo, objectorum imagines excipiantur, mens nihilominus non niſi unicum & ſimplex intuetur objectum, quod axes optici in unum horopteris punctum concurrant, indeque imago in utroque oculo ſimilis, & ſimiliter poſita depingatur. Itaque ſi ejus reipublicae homines oculorum ſtrabiſmo laborarent, ut axes opticos nequaquam ad unum punctum dirigerent; non ſolum objecta omnia geminata conſpicerent, ſed etiam magnitudinum & diſtantiarum alias percipérent relationes, aliaſque identitatis, & unitatis notiones

nes

1 Loc. cit. not. 4. ad §. 586.

Digitized by Google

nes mente formarent ; & tamen nonniſi immerito in delirantium numero cenſerentur. Ex his, quae de ratione, & rationis uſu huc uſque diſputata ſunt, plurima poſſent ad jus canonicum, & civile in iis, quae amentes, impuberes, curatore egentes &c. ſpectant, illuſtrandum derivari. At id nec inſtituti noſtri ratio poſtulat, nec propoſita diſſerendi brevitas permittit.

Eſto cuilibet diſputandi poteſtas.

F I N I S.

		ERRATA.	*CORRIGE.*
Pag. 18. in not. col. 1. l. 15.		quod	quo
19. in not. col. 1. l. 18.		*in eadem ſimplici*	*in eadem re ſimplici*
col. 2. l. 38.		quam	quem
21. in citat. num. 1.		V. Sarke	V. Clarke
24.	lin. 24.	praevii	praeviis
28.	lin. 19.	clariores ; phantaſmatis	clariores phantaſmatis
31.	lin. 3.	dotur	donantur
46.	lin. 15.	longiſſimae	longiſſime

99 933344
Digitized by Google